This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A propos de ce livre

Ceci est une copie numérique d'un ouvrage conservé depuis des générations dans les rayonnages d'une bibliothèque avant d'être numérisé avec précaution par Google dans le cadre d'un projet visant à permettre aux internautes de découvrir l'ensemble du patrimoine littéraire mondial en ligne.

Ce livre étant relativement ancien, il n'est plus protégé par la loi sur les droits d'auteur et appartient à présent au domaine public. L'expression "appartenir au domaine public" signifie que le livre en question n'a jamais été soumis aux droits d'auteur ou que ses droits légaux sont arrivés à expiration. Les conditions requises pour qu'un livre tombe dans le domaine public peuvent varier d'un pays à l'autre. Les livres libres de droit sont autant de liens avec le passé. Ils sont les témoins de la richesse de notre histoire, de notre patrimoine culturel et de la connaissance humaine et sont trop souvent difficilement accessibles au public.

Les notes de bas de page et autres annotations en marge du texte présentes dans le volume original sont reprises dans ce fichier, comme un souvenir du long chemin parcouru par l'ouvrage depuis la maison d'édition en passant par la bibliothèque pour finalement se retrouver entre vos mains.

Consignes d'utilisation

Google est fier de travailler en partenariat avec des bibliothèques à la numérisation des ouvrages appartenant au domaine public et de les rendre ainsi accessibles à tous. Ces livres sont en effet la propriété de tous et de toutes et nous sommes tout simplement les gardiens de ce patrimoine. Il s'agit toutefois d'un projet coûteux. Par conséquent et en vue de poursuivre la diffusion de ces ressources inépuisables, nous avons pris les dispositions nécessaires afin de prévenir les éventuels abus auxquels pourraient se livrer des sites marchands tiers, notamment en instaurant des contraintes techniques relatives aux requêtes automatisées.

Nous vous demandons également de:

+ *Ne pas utiliser les fichiers à des fins commerciales* Nous avons conçu le programme Google Recherche de Livres à l'usage des particuliers. Nous vous demandons donc d'utiliser uniquement ces fichiers à des fins personnelles. Ils ne sauraient en effet être employés dans un quelconque but commercial.

+ *Ne pas procéder à des requêtes automatisées* N'envoyez aucune requête automatisée quelle qu'elle soit au système Google. Si vous effectuez des recherches concernant les logiciels de traduction, la reconnaissance optique de caractères ou tout autre domaine nécessitant de disposer d'importantes quantités de texte, n'hésitez pas à nous contacter. Nous encourageons pour la réalisation de ce type de travaux l'utilisation des ouvrages et documents appartenant au domaine public et serions heureux de vous être utile.

+ *Ne pas supprimer l'attribution* Le filigrane Google contenu dans chaque fichier est indispensable pour informer les internautes de notre projet et leur permettre d'accéder à davantage de documents par l'intermédiaire du Programme Google Recherche de Livres. Ne le supprimez en aucun cas.

+ *Rester dans la légalité* Quelle que soit l'utilisation que vous comptez faire des fichiers, n'oubliez pas qu'il est de votre responsabilité de veiller à respecter la loi. Si un ouvrage appartient au domaine public américain, n'en déduisez pas pour autant qu'il en va de même dans les autres pays. La durée légale des droits d'auteur d'un livre varie d'un pays à l'autre. Nous ne sommes donc pas en mesure de répertorier les ouvrages dont l'utilisation est autorisée et ceux dont elle ne l'est pas. Ne croyez pas que le simple fait d'afficher un livre sur Google Recherche de Livres signifie que celui-ci peut être utilisé de quelque façon que ce soit dans le monde entier. La condamnation à laquelle vous vous exposeriez en cas de violation des droits d'auteur peut être sévère.

À propos du service Google Recherche de Livres

En favorisant la recherche et l'accès à un nombre croissant de livres disponibles dans de nombreuses langues, dont le français, Google souhaite contribuer à promouvoir la diversité culturelle grâce à Google Recherche de Livres. En effet, le Programme Google Recherche de Livres permet aux internautes de découvrir le patrimoine littéraire mondial, tout en aidant les auteurs et les éditeurs à élargir leur public. Vous pouvez effectuer des recherches en ligne dans le texte intégral de cet ouvrage à l'adresse `http://books.google.com`

J 29.g.6.

3

6a

29. g. 6

ŒUVRES COMPLÈTES

DE L'HOSPITAL.

TOME TROISIÈME.

AMBROISE TARDIEU ÉDITEUR.

IMPRIMERIE DE FIRMIN DIDOT, RUE JACOB, N° 24.

ŒUVRES COMPLÈTES

DE MICHEL

L'HOSPITAL

CHANCELIER DE FRANCE,

ORNÉES DE PORTRAITS ET DE VUES DESSINÉS ET GRAVÉS PAR A. TARDIEU,

ET PRÉCÉDÉES D'UN ESSAI SUR SA VIE ET SES OUVRAGES

PAR P. J. S. DUFÉY, AVOCAT.

TOME TROISIÈME.

A PARIS,

CHEZ A. BOULLAND ET Ce, LIBRAIRE,

PALAIS-ROYAL, GALERIES DE BOIS, N° 254.

1825.

LIBRARY OF THE TAYLOR INSTITUTION
UNIVERSITY
29 MAY 1936
OF OXFORD

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBRI SEX.

HENRICO III,

GALLIÆ ET POLONIÆ

REGI MAXIMO ET POTENTISSIMO,

M. HURALTUS HOSPITALIUS.

MICHAELIS HOSPITALII avi mei versus, maxime Rex, collegi, ut publicarem. Istam mihi curam simul cum bibliotheca moriens legaverat: sed prudentissimus senex, multa illic liberius scripta agnoscens, imprimis monuerat ne prodirent in vulgus, nisi seculo libero, atque sub bono principe. Ego, meliorem principem exspectare nefas, seculo liberiore frui, quam quo fruimur, difficile putavi: quo quidem et verum dicere, et de te ipso libere loqui licet, semperque licuit, et apud te ipsum, quod accidit nunquam, nisi sub optimo principe. Diutius itaque domi asservari

mihi creditas musas æquum non fuit: verum infirmis adhuc, et suo parente orbis, opus erat magno defensore, majore patrono. Et sane fateor ingenue, quæ ille ludens, animi potius causa, quam ut ederentur, scripserat, non satis digna existimabam, quæ tanto principi commendari possent, præsertim ab Hospitalio, sperabamque inter ejus scripta, majus aliquod inveniri posse, quod majestate tua dignum esset, et illius gravitate. Sed clarissimi Philippi Huralti regni tui cancellarii auctoritas consilium meum mutavit, qui et ista quoque tibi deberi, ista quoque regia esse judicavit, ab eo profecta, qui dum vixit regibus et regno perpetuam præbuit operam. Illius jussu et hortatu opus istud majestati tuæ offero, quod, licet alienæ liberalitatis munus, bonus à me accipias precor. Scio, Domine, Hospitalii honorificam mentionem sæpius à te factam: id unum ad illius felicitatem poterat accedere, ut virtutis suæ testem maximum orbis terrarum regem haberet. Hoc me faciet fortasse audaciorem, ut ejus reliquias tibi gratas fore sperem, cujus memoriam non semel laudasti; et quos fidei meæ libros

commendavit, in Majestatis tuæ tutelam et patrocinium committam. Quos si a te probari sciam, a paucis sane, maxime Rex, metuam improbari. Lutetiæ, calendis junii.

MICHAELIS

HOSPITALII

EPISTOLARUM

LIBER PRIMUS.

AD MUSAS ROMANAS,

UT BELLAIUM CARDINALEM, ROMÆ COMMORANTEM, IN PATRIAM REMITTANT.

Musæ, progenies magni Jovis aurea, flavum
Quæ Tiberim colitis, fugitivum reddite nobis,
Reddite Bellaium, qui, nomine captus inani
Urbis, nunc habitat desertæ mœnia Romæ,
Oblitus patriæ, veterumque oblitus amorum:
Nec jam Parisios, nec jam prætoria curat
Sammoriana, nemusque suis plantaverat ipse
Quod manibus, virides nec quos sacraverat hortos
Obsceno truncoque Deo; nec pone fluentem,
Perque latus lævum sinuosis flexibus amnem;
Nec scenæ speciem, quam circumductus in orbem
Perpetuus collis subjectique æquora campi

Ostendunt, nec quæ illo sunt miracula tractu.
Fama vetustatis, præjudiciumque facessat
Nominis, ecquid habet tantum nova Roma? quibusne
Æquiparat nostram studiis et laudibus urbem?
Num populi censu, domibus, templisque Deorum
Vincimur? aut regis quidquam speciosius aula?
Num pietas ergaque Deos, ergaque parentes
Est minor in nobis? minor est aut sensus honesti?
Hic leges et jura, magistratusque regendis
Moribus, ac suaves inter convictus amicos,
Fidaque conjugia, et soboles non credita falso:
Non alio divina loco sapientia tantum
Floruit, aut studia innuptæ viguere Minervæ.
Pace tua dictum sit, Romule, pace, Quirites,
Vestra (si quis adhuc antiquæ stirpis in urbe est
Barbarico nondum pollutus semine sanguis)
Altior it cœlo, majorque LUTETIA Roma
Attollit caput, et reliquas supereminet urbes.
Circum pinguis ager, fecundaque frugibus arva,
Vina quoque Albanis et non cessura Latinis.
At Tiberim (quamvis Ægyptia pondera jactet)
Non ego contulerim Sequanæ, qui plurima longe
Emensus spatia, et paribus jam quattuor auctus
Ingreditur fluviis, ipsum prope navibus æquans
Ionium, tantas vehit alto gurgite merces.
His illum retrahi causis, et posse teneri
Sperabam in patria, quamvis externa placerent:
Nec quia rumor erat magno conquirere sumptu

Insignes statuas, auroque rependere signa,
Perfodere ingentes tumulos, veterumque labores
Eruere artificum terræ penetralibus imis,
Idcirco metui; quin nescius, illa putabam
Ornamenta Deis cogi pulcherrima nostris,
Quæ secum in patriam rediens ablata referret.
Sed nulla est constans hominum stabilisque voluntas:
Mutantur studia atque animi, mutantur amores.
Nunc struit ille domos, nunc dicitur alta locare
Fundamenta novæ Pario de marmore villæ
Ad Tiberis ripam, et Claudi monumenta Neronis,
Romano in portu dum Roma antiqua manebat.
Hæc adeo non sunt redeuntis signa; quis amens
Ædificat, quibus ipse locis consistere nolit?
Aut laureta serit quæ mox viduata relinquat?
« Tu vero quisquis venientes prospicis annos,
« Imbellique domum designas ante senectæ,
« Delectu in patriæ superum ne fata Deorum
« Judicio postpone tuo; sed protinus illa
« Quæ tibi principium vitæ dedit exige finem
« In patria, quamvis alio te blanda voluptas,
« Quamvis ambitio traducat plena malorum: »
Socratis exemplo, qui toto tempore vitæ
Exiit urbe semel tantum. Nam sedibus illi
Quos amor excivit propriis aliena videndi,
Nec caruere diu patria; sed rebus onusti
Utilibus, rediere domos, et denique dulcem
Conjugis in gremio vitam posuere beati,

Et lacrymas in morte oculis hausere suorum :
Tantus amor patriæ. Nec enim formosa Calypso,
Mille dolis aggressa virum, pervertit Ulyssi
Consilium reditus, patriæve excussit amorem,
Quamvis dura nimis mutaret et aspera saxa
Pingui udoque solo, et vitæ immortalis honore :
Atque illi in patriam cur vellet causa reverti
Nulla fuit, Bacchi sterilem Cererisque bonorum.
Stant causæ reditus multæ, magnæque volenti
Bellaio, rerum cui pleno copia cornu,
Atque domi facilis sine cura suppetit usus;
Cui sua tot virtus et præmia tanta merenti
Detulit in patria, tantos cumulavit honores,
Quantos mens sperare potest humana, Deorum
Munere; cui fortuna benigne præbuit agros,
Et nemora et silvas, uti molles condere posset
Versiculos : tria Gallorum dedit oppida gentis
Maxima, Parisios, insignem regibus urbem;
Cenomanos, clarum bello genus, unde coloni
Auctoresque tui generis venisse feruntur
Brixia, Tyrsenis vacuo cedentibus agro;
Nec non Burdigalam, terraque marique potentem
Burdigalam, portus ubi fluminis unda capaces
Mille carinarum facit, æstu inflata marino :
« Nec tamen illa suo minus olim cognita cive
« Ausonio, Ausomiis contendere vatibus ausa.
Ergo, Bellaium patriæ precibusque suorum
Reddite, Bellaium, Musæ, si ducitis æquum

Nempe suos patriæ repetenti reddere cives :
Non est, non adeo est vestri retinere pudoris
Externa de gente virum; nec poscitis æqua,
Nec concessa Deæ; liceat sua cuique tenere;
Fas sit quamque suis habitari civibus urbem,
Ni vobis diversa animo sententia sedit,
Erectasque tenet triplicis spes alma coronæ.
Forsitan et vestrum jam prospexistis alumnum
Regnaturum olim Romæ, legesque daturum
Gentibus. O felix genus illo tempore vatum!

AD FRANC. OLIVARIUM,

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

Te sum perpetuo veritus, Francisce, tuumque
Triste supercilium mea semper musa refugit,
Erubuitque suos tibi rustica mittere versus.
Non quia despiciens alienæ sortis iniquæ,
Difficiles aditus venientibus osque superbum
Exhibeas: quid enim potuit moderatius isto
Esse gradu, longe qui maximus eminet inter
Principis officia, atque togæ civilis honores?
Totius est commissa fides cui publica regni,
Et signi regalis honos, et nobilis illa
Cera, modo flavo, viridi modo tincta colore,
Qua sine cuncta labant rerum documenta, ratumque
Et firmum nihil esse potest, non regia jussa
Vim retinent nomenque suum, non judicis æqui,
Præsidis aut decreta valent, non denique leges,
Tu nisi supremus tabulis accesseris auctor.
At quum tot radies tantis et honoribus unus,
Te fortuna tamen nunquam mutavit ab illo
Qui fueras, et quem tua virtus finxerat ante.
Ergo quæ mihi causa fuit formidinis hujus,
Quidve retro cessi metuens? hoc scilicet unum,
Ne gravis et censor nostrorum acerrime morum

Rideres levia hæc scribentem carmina amicum,
Rideres subito factum de judice vatem.
Verum ubi missa aliis cognovi scripta placere
Nostra tibi (quanquam nil prorsus amabile in illis),
Cœpi audere, tibique absenti hoc dicere carmen
Absens aeriis in montibus Apennini,
Runcanique jugis, unde est prospectus in omnem
Flaminiam; et, possis oculis contendere tantum;
Æmiliæ videas muros et tecta Ravennæ,
Et fines Venetum Phrygiique Antenoris urbem,
Oppida Cenomanæ gentis, Mincique paludes,
Et quos lene fluens Athesis, quos et Tarus agros
Irrigat, oppositis effusi cursibus, et quos
Eridanus fluviatilium regnator aquarum.
Hinc ego surrectas convexi ad sidera mundi
Adversis procul adspiciens aquilonibus Alpes,
Intuitu memet consolor et aere pasco,
Semper habens aliquem tenerum facilemque libellum
In manibus, prudens nam seria nuper omisi,
Aut calamum, si forte juvat componere versus,
Et diros animi cantu lenire dolores,
Nascentisque mali retro deducere causam,
Quæ tibi prætermissa tacebitur, ulla meis ne
Ad commune bonum veniant incommoda nugis,
Et fremat ereptas aliquis sibi forsitan horas,
Vel quia res credenda vagæ non visa tabellæ:
Nunc quibus urgemur præsentibus accipe damnis.
Principio ventris, renum, laterumque dolores

Invadunt pariter pigrum atque immobile corpus,
Visceribusque tenax hærens pituita moratur
Lenta cibum, summamque extendit flatibus alvum :
Præcipuus dolor, angustis ubi calculus hæsit
Tramitibus, geminos prætendens calculus uncos;
Vis horrenda mali, quæ si diuturna fuisset,
Haud equidem tanto poteram par esse dolori.
Plurimus hinc sanguis venis effusus apertis,
Atra bile niger, subita formidine mentem
Affecit, veritam corpus ne exsangue maneret;
Continuo tabis metus atque intercutis undæ.
Quæ tamen evici, medicorum non magis arte
Quam certa et stabili victus ratione cavendo.
Jamque omnes adeo scopulos superasse putabam,
Et maris effugisse minas portumque tenere,
Quum nova, qua minime timui regione, procella
Exoritur, stantemque prope ipso in littore navem
Rejicit in pelagus. Nunc magnis jactor in undis,
Quasque mihi reliquas fecere incommoda vires
Præterita, adversum hanc inopinam colligo pestem :
Ignotam pestem; non audeo namque podagram
Dicere, quamvis articulos grassetur in imos,
Alteriusque pedis mihi prorsus ademerit usum.
Blandior interea mihi, sustineoque libenter
Palpantes medicos, et nomina falsa ferentes.
Affectum morbis animique et corporis una
Esse vides, citius quos littera Principis una
Depulerit, quam tota Coos, quam Pergamus omnis.

Et quid, ais, mentem ergo tuam gravis ac mala vexat
Ambitio, curæque animum populantur edaces;
An dulcis patriæ desideriumque tuorum
Ultra ferre nequis tam paucis mensibus absens?
Tene domum revocant privata negotia? Prorsus
Ex tribus his nullum. Nec enim præsentibus opto
Vel posco majora, nisi et Deus hanc mihi mentem
Eripit, et rerum non urgeor usque mearum
Difficili casu, ut contra non surgere possim,
Et patria careo satis æqua mente. Quid ergo est?
Ne tu quæsieris quæ tantum causa tumultum
Concitet in nobis, qui pectora scrupulus angat:
Est fidei quod non alienæ crèdere possim
Quo gravius tacitis ardent præcordia flammis.
O mihi si tecum liceat non amplius unam
Esse diem, ut servata diuque agitata premendo
Effundam in gremium vere sapientis amici!
Ergo regrediere domum, et dimissa resumes
Officia, ac lites odiosus ut ante secabis?
Non ego (si cuicumque alii succedere parti
Posse quidem vobis èt idoneus esse videbor)
Verum sic cupiam partiri tempora: magnam
Ac multo majorem habeat respublica partem;
Partem aliquam Musæ, magni Jovis inclyta proles.
Ut mihi cum Baldis, Paulis, et Iasone tandem
Conveniat; per me jaceant ut pulvere pleni
Æternum, longaque sepulti pace quiescant;
Tecum istic aliquo meliori munere verser,

Externosve adeam reges legatus, et urbem
Romam, vel populos conjunctos fœdere nobis,
Præterea quidvis potius, quam scindere lites
Et mala divisæ componere jurgia plebis.
Aut certe liceat, multis quod molior annis,
Leges prudentumque hominum responsa, jacebant
Ut passim confusa prius sineque ordine, certis
Assignare locis, unumque effingere tanquam
Corpus, cæmento compactum et calce tenaci.
Non ideo, non ipse mihi tamen arrogo, multis
Promissam, verum quam nemo præstitit artem:
Quæ tradi vel nulla potest tanto agmine rerum
Et tam multiplici, vel si potuisse fatemur,
Tradita jampridem est. Quis enim finire, genusque
Dividere in species, et totum in membra secare
Commodius possit, quam quo descripta videmus
Ex veterum libris, o si non trunca fuissent!
Certo jura modo? Conatus denique multis
Incassum cecidere, novas dum quisque per artes
Ambulat, et spe discipulos eludit inani.
At labor in solo meus ordine, perfacili re
Et tenui, sed multa feret quæ commoda secum:
Prætereaque locos, si qui pugnare videntur,
Concilio, nodos obscuraque sensa resolvo.
Atque hoc vel quovis alio decurrere malim
Curriculo, quam illud saxum unum volvere semper
Luctantem causis à sole oriente cadentem ad,
Dum socer insidias generi, dum conjugis uxor

Arguit, uxorem dum mulctat dote maritus;
Aut quum de pactis nexuque et nomine fundi
Quæritur, aut de jure. Quid illud? nonne molestum
Et grave, pragmaticos inter subsellia raucos
Latrantes audire canino more, nec ipsis
Parcere judicibus petulantis acumine linguæ?
Hæc si parva, aliis etiam præclara videntur,
Mi faciunt stomachum forsan meliora sequenti.
Quo si me revocas, quum possim utrumque, recusem:
Sin jubeor, non difficile est ad prima reverti
Quem nihil a solito moverunt prospera cursu,
Nec vertit fortuna in mores blanda superbos.
Sed me sors quocumque trahit venturaque fata,
Tu mihi, tu solamen eris, Francisce, malorum,
Pars etiam nostræ multo suavissima vitæ:
Quo nihil integrius vidit, nil fortius unquam
Gallia, quem vere quæstorem dicere primum
Possumus, imprimisque rei communis amantem:
Quo rigido custode viget sanctissima legum
Majestas, vulgoque boni succrescere mores
Incipiunt; sua sunt vitio, sua præmia laudi.
Hæc tibi scribebam Vincenti nobile juxta
Fanum, tectus ea lucus quam projicit umbra,
Et præter raucas interpellante cicadas
Nemine, quæ si tu poteris minus ipse, legentur
At dulci puero, Musarum et laudis amanti,
Palladio puero, qui servat pectore fixa
Ascræi præcepta senis, rectumque secutus

Et durum virtutis iter plenumque laboris,
Ad magnum tua per vestigia tendit Olympum.
Di, servate pio genitori grandia tantæ
Semina virtutis, patriæ servate parentem.

AD FRANC. TURNONIUM,

CARDINALEM.

TURNONI, genus heroum qui sanguine ducis,
Cujus consilio res omnis publica nostra
Dirigitur, foris atque domi quæcumque geruntur,
Si libet hic mecum contractam extendere frontem,
Et paulum transferre oculos vacat ad mea scripta,
Exponam breviter quæ sit ratio mea vitæ,
Et quibus oblecter studiis; qui denique ludi
Exercent vacuum me; qualis eram modo rure
Solus agens hominum cœtu procul, urbe relicta,
Sæva reformidans putris contagia morbi.
Nec vero metuam ne dent homines mihi probro
Quod versus faciam media jam ætate senator,
Hoc si magnificum nobis et tam grave nomen
Usurpare licet; veterum me exempla tuentur.
Scilicet id sapiens qui leges primus Athenis
Condidit atque alii fecerunt; nomina quorum
Græcis commendata libris, pariterque Latinis:
Ille etiam e Græco fecit qui vertit Aratum,
Et qui Virgilii conclusit carmina paucis:
Ipsa dei vates etiam responsa canebat
Constrictis pedibus. Sed tu quod molior audi.
Justitium nobis septembri indicere mense

Mos vetus est : illis redduntur nulla diebus
Jura foro; clausis sunt longa silentia portis;
Hæc veluti requies animis concessa laborum.
Scilicet uxori placuit natisque relinqui
Hoc saltem spatium decimæ post tempora lunæ.
Lassi omnes operum, pertæsique ipsius urbis
Funduntur portis insano ruris amore :
Conscendunt alii naves; pars ire citatis
Gaudet equis; videas fervere angusta viarum
Curribus, et bubulo contectis tergore carris.
Ut vero ad villam ventum est, aliis alius se
Oblectat studiis, sua cordi est cuique voluptas;
Illi cura penus, cellis aut condere vina,
Aut fulcire gravi titubantia pondere messis
Horrea, vel queruli rationem audire coloni;
Hunc arbusta juvat directis ponere late
Ordinibus, viridemque domo circumdare silvam,
Et tectum foliis spatiari molliter umbra;
Terga premunt alii jaculis canibusque ferarum,
Aut visco fallunt volucres, aut retia tendunt.
Ast ego cui bos nullus arat præpinguia terræ
Jugera, cui nullæ pecudes in montibus errant,
Denique nil est rure meum quod dicere possim,
Interea soceri in villa spatiabar amœna,
Quo me contuleram comitatus conjuge, et una
De tribus est mœsto quæ filia sola parenti,
Divitias mecum ipse meas, et certa bonorum
Sedato reputans animo; quæ non ego Crassi

(Quantula sunt) opibus, non auri pondere mutem.
O nostri melior pars temporis! o duo summa
Lætitia menses exacti! scilicet ex quo
Publica jampridem tractare negotia cœpi,
His mihi sum visus solis vixisse diebus.
Forsitan et nondum satiata mente requiras,
Quæ me tum studia et quæ res fecere beatum;
Non etenim causas novi, quas deinde referrem ad
Concilium, non ipse mihi breviaria feci,
Concisas rerumque notas, quibus uterer olim,
Sollicitus veluti fruges qui condit in annum
Agricola, et magnos componit farris acervos
Ingentemque struem lignorum frigora contra
Et longas hiemes: verum satis esse putavi
Semper ego modico contentum vivere quæstu,
Et succisivas studiis melioribus horas
Ponere: uti ludis animus recreatus honestis
Acrior ad curas intermissumque laborem
Mox redeat, quamquam sunt nostri seria ludi,
Seu libros teneo Xenophontis, seu Plato dius
Nostras Socraticis sermonibus imbuit aures.
Sæpe juvat doctos manibus versare poetas,
Qualis Virgilius noster Maro, qualis Homerus;
Sed mage delector tragicis ubi comica junxi,
Tristia ridiculis miscens, ludicra severis:
Et juvat imprimis si qua est oratio quondam
Egregii patriæque adamantis commoda civis
Excepta aut populi plausu, aut mirante senatu,

Et quorum spectata foro facundia, quique
Omnes dicendo potuerunt vincere causas.
Nec minus oblector Francorum annalia regum
Scripta legens, ullo sine fuco prorsus et arte,
Quam quæ magnifice Græcis conscripta leguntur
Historiis, ægre speciem retinentia veri.
Sed mihi nulla sacris componi scripta videntur
Posse libris, non est ubi mens humana quiescat
Suavius, et portum inveniat secura malorum.
His adeo studiis cupiam traducere tempus
Perpetuo, seu rure habitem, seu verser in urbe,
Ut neque amor lucri, nec habendi plura cupido
Sollicitent animum, procul ambitione relicta;
Quæ miseros homines insedit, pectora quorum
Libertate sua spoliat, variisque malorum
Irretit laqueis, et letho denique tradit.
Hæc mihi causa fuit ne te importunus adirem,
Neve fatigarem precibus quoties tulit usus:
Tum qui sæpe bonis nocuit pudor, obstitit idem
Sæpe mihi, et crebro venientem a limine movit.
« Illo namque viros olim gaudere pudentes
« Audieram, tanquam certo custode bonorum
« Virtutumque animi. » Quid enim deformius est, vel
Turpius adspectu? Quæ vox absurdior ulla
Auribus esse tuis possit, quam si quis in hæc te
Verba roget? Cives inter clarissimus omnes,
Si nescis, ego sum; juris legumque peritus;
Et regere imperio populos, et idoneus armis;

Mi peto præturas, peto summos urbis honores:
An non continuo meritam ferat ille repulsam,
Et caput helleboro jubeas purgare meraco?
At nos quotidie vulgo sic poscimus omnes,
Quæ mage conveniat deferre merentibus ultro,
Quam sic prostitui petulantibus atque superbis.
Ut quondam medicus si forte queratur, eum quod
Accersat nemo, nemo illius ostia pulset,
Et circum vicos mœrens et compita currat,
Et velit obtrudi, quamvis nolentibus ægris.
Hunc merito pueri subsannent; sed magis illum
Qui sibi fortunas aliorum, et libera poscit
Committi capita, et supremum sedis honorem:
Quem tamen ipsa domi cum servis despicit uxor,
Et tanquam bardum ridet vicinia tota.
Sic mihi majorum poscenti munia rerum,
Quamvis nemo tibi se gratior obtulit unquam,
Ne sit amor tanti dicas, aut dicere possis,
Ista vel indigno tribuam, vel non meliori.
Hæc ego ne audirem, dici quia posse videbam,
Sum veritus, vocisque omnem pudor abstulit usum,
Qui mihi si numquam fuit utilis, attamen ipsum
Antefero lucris audacibus et male partis.
Nec vero doleo (quamquam illo durius angi
Sæpe bonos etiam video, valdeque modestos)
Aut me præteritum, aut alios ad magna vocatos.
Nam factum ratione puto: fuit aptior ille,
Aut meritis etiam veterem præcurrit amicum,

Aut me fortunæ meliori denique servas.
Accipe nunc causas cur non tua limina visam
Sæpius, assidueque tua non verser in aula
(Non etenim veluti Chrysippus, Diogenesve
Fortunam contemno tuam, quæ summa prehendit
Rerum humanarum fastigia; sed mage miror
Ingenium, et quæcumque tibi virtute parasti):
Nec me unquam durus tua tecta subire volentem
Janitor exclusit, nec longum est usque moratus;
Sed patuere fores, patuit domus intima semper,
Et faciles aditus, facilis fuit omnibus horis
Qua de re tecum libuisset copia fandi.
Et si quando tuæ venissem in tempora cœnæ,
Unum quæsivisti oculis sessumque vocasti;
Sæpe etiam mensæ dignatus honore secundo es.
His ego tot de me, tantisque, ut credere par est,
Judiciis, tacita concepi gaudia mente:
Nec tamen erexi caput altius, aut tumidum cor,
Nec propius latus accessi, vel stultus ad aurem,
Ne similem Æsopi populus subsannet asello;
Sed morem tenui prudens, et tempora: hic me
Invidiæ eripiens, qua vobis omnia plena:
« Quo non terra malum produxit tetrius ullum,
« Sævior Hyrcanis nec bellua montibus errat.
« Illa dolis potius, quam vi succedit aperta,
« Lethiferum nigro distillans ore venenum:
« Non subito apparent demorso in corpore tanti
« Signa mali, turpesve notæ; sed languida sensim

« Ægro membra fluunt, nec se tabescere sentit,
« Donec jam sero moriens cognoscere morbum
« Incipiat. » Stultus qui non præcaverit ante,
Abstinuit summis modico contentus, inivit
Tutus iter medium, sine vento, grandine, et imbre.
Hæc pestis reges, et regum perdit amicos,
Rectores quondam populorum depulit urbe
Præcipites, patriumque solum mutare coegit,
Mille animos hominum damnis et mille periclis
Involvit, magis illa bonis contraria semper.
Hanc ego pertimui, quantumvis callidus esses,
Nec temere falsis addas sermonibus aurem.
Sed quem non sermone capit delator amicus?
Quem non ante dolis conficta calumnia fallit?
Ergo his de causis vixi contentus, adhucque
Vivo bonis, et sorte mihi quam fata dederunt,
Seu posthac meliora dabunt, seu plus nihil addent,
Æquo ferre animo fortunam utramque paratus.
Interea assidue regali munere fungor,
Et circumventos (ita si tulit usus) iniquis
Judiciis, præsto incolumes, non ultimus ipse
Inter selectos vel re vel nomine centum,
Et teneo antiquum pedibus manibusque decorem
Cum paucis, reliquos mihi quos mors improba fecit.
Egregius quondam, nunc multum degener ordo,
Temporibus postquam cœpit promiscuus esse
Et rudibus, sæpe et nulla virtute probatis,
Qui vix prima tenent elementa docente magistro;

Qui tardi atque hebetes, bene plena dummodo zona.
Scilicet hæc nobis adportat commoda bellum,
Indignis pariter tribuens et præmia dignis,
Divitiis opibusque loco decedere cogens
Virtutes; quas tum summæ præponere rerum
Tum magis expediat, vitiis crescentibus ultro,
Dum belli furor, armorumque licentia vicos
Oppidaque infestat; dum non satis est sua cuique
Tuta domus, legumque jacet veneranda potestas.
Sed belli quandoque malum tu pace repones,
Adjungesque tibi socium comitemque laboris
Franciscum, placida qui cœpit nomen oliva,
Et merito, placidæ semper quia pacis amator:
Quem Deus ærumnas populi miseratus egeni,
Auxilio terris et in hæc habitacula misit,
Ut toties frustra votis precibusque petitum
Justitiæ numen longo post tempore demum,
Quæ vitans hominum consortia fugerat olim,
Sedibus antiquis solioque reponeret alto,
Unde bonis spes certa, malis pavor et metus esset.
Di pariter vobis animos, et tempora, et aptam
Materiam, invidiæ sine tempestatibus ullis
Sufficiant, et rebus idonea cuncta gerendis.
Tuque favens esto nobis, bone Jupiter, et quæ
Adversata diu sunt terris sidera, tandem
Adspiciant radiis camporum plana benignis,
Hostilique metu vacuos cultoribus agros,
Et magnas raris habitatas civibus urbes.

Corpora multa virum pestis sublata veneno,
Multa fame, steriles essent quum frugibus anni,
Multa quibus vitam miles ferro impius hausit.
Parcite, cœlicolæ, cœlum quibus ante pepercit,
Parcite relliquiis hominum qui e cæde supersunt,
Quos satis afflixit luctus, mœrorque suorum,
Et qui sæpe malo gravior metus exstitit ipso:
Ut liceat vere hanc aliquando fundere vocem,
Æreus ante fuit, qui nunc est aureus orbis,
Aurea Francisco redierunt secula rege.
Hos egos rure malos incepi scribere versus,
Qui sermone hominum consueto non procul absunt:
Inde domum rediens meliore haud fine peregi,
Et demum vacuo reddi, non ante, volebam.
Sed qua te vacuum deprehendet nuncius hora
In tanto, quæ te circumstant, agmine rerum?
At tu de multis unam concesseris horam,
Ne nova contempto nascatur cura poetæ.

Idibus novemb. 1543.

AD ADRIANUM DRACUM,

SENATOREM PARISIENSEM.

De suo in Italiam itinere, dum ad conventus christianos, qui tum Bononiæ habebantur, Francisci I Galliarum regis legatus proficisceretur.

Drace, mihi multis jamdudum cognite rebus,
Et quem præcipue, merito quem semper amavi
Propter et ingenii bonitatem, et Palladis artes
Magno quæsitas studio, magnoque labore;
Non ego quid facias, quibus oblectere requiro
Nunc studiis, idus postquam venere novembres,
Coccineaque in veste foro consedit aperto
Curia, et in sanctas leges et principis acta
Omnes patroni causarum, pragmaticique
Jurarunt, ipso præeunteque verba senatus
Præside, justitiamque alios servare monente.
Namque dies totos dicendi munere juris
Implicitus, præbes utramque volentibus aurem,
Collegasque tuos recitantes sedulus audis,
Inque vicem recitas, quæ triveris ante legendo:
Ac postquam versata diu est et cognita causa,
Sive est posteriore loco tibi, sive priore
Dicendum, reliquos ad te rapis et trahis unus,

Et præjudicio mox litem dividis æquo.
« Tantam nota fidem probitas facit aurea, tantum
« Persuadere valent mores, non verba loquentis. »
Jam vero exsortem sceleris culpaque vacantem
Esse reum mavis, tuaque ad subsellia duci,
Quàm sceleratum aliquem, maculatumque omnibus intus
Flagitiis, ne quid diversum et prorsus abhorrens
Natura cogare tua decernere in illum,
Et sancire novas humano sanguine leges.
« Scilicet illa bono prima est in judice virtus,
« Ut malit servare suos quam perdere cives :
« Et si forte via modicum discedere recta
« Fas erit, in lenem potius propendere partem.
« Nam male corrigitur, judex quod acerbius olim
« Constituit : non est ullo reparabilis error
« Tempore, qui vita, famaque et nomine constat. »
His te nunc studiis exerces, Drace, diurnis,
Nocte etiam veterum consulta volumina versas :
Quæ tibi sunt artes, hæ nobis ante fuerunt.
Scire volo potius september mensis ubi te
Viderit, et pluvio quibus hoc regionibus anno
Legeris immites spoliatis vitibus uvas :
An te vitiferi colles, et proxima bello
Rura loco, campique Briæ videre nitentes,
Divitis an soceri potius te prædia circum
Vexit equus, Bandæque vocatam nomine villam.
Visistine aliena, tuis satiatus, amice,
Et quæ pulchra Leæ consurgunt mœnia villæ,

Leriaco vicina jugo, campisque feroci
Nobilibus pugna, et populorum clade duorum.
At te etiam, si forte juvat cognoscere nostra,
Accipe : digresso patria sextilibus horis,
Pulverea nebula, metam finemque laborum
Quarta dies supra decimam tulit ante calendas
Octobres, cœlo caderet quum plurimus imber,
Obnixusque pedes vix et jumenta viator
Extraheret cœno, late stagnantibus agris.
Sed mihi parva fuit cum cœno pugna, lutoque,
Majus in Eridani fluviorum principis undis,
Majus opus; non unquam alias majore periclo
Erravi, dubioque magis discrimine vitæ.
Nam quæ Taurinæ fuerat sub mœnibus urbis
Ante mihi conscensa ratis, delata secundo
Flumine, corripiebat iter, bisque acta duorum
Remigio, cursu volucres æquabat Olympi,
Quum subito exortis magno cum turbine ventis
Misceri cœlum et sonitus e nube tremendos
Audiri, proramque noto feriente per undas
Jactari, cymbam et retro cum flumine ferri.
Nos, quibus exitium præsens, et mortis imago,
Suppliciter superos et numina magna precari :
Et ni connixi contra quam incumberet auster
Advertissemus proram, lævaque relicta
Oppositam navis tenuisset fluminis oram,
Illa dies forsan nobis extrema fuisset.

Ergo victores superato flumine, terram
Prendimus, et ripa madidi consedimus alta,
Frondibus arboreis tecti, dum Jupiter Irim
Dejiceret cœlo, solemque reduceret album.
Defunctos tantis undarum, DRACE, periclis,
Excepere novi casusque, novique labores:
Vix bene confectis triginta millibus, ecce
Fama Placentinæ volat atrox nuncia cladis.
Ipsos colloquii specie, gladiosque tegentes
Veste breves, qua forte die custodia portis
Rara fuit, cives aliquot non agmine magno
Ingressos veterem, quum nemo resisteret, arcem,
Perque domus vacuos aditus, et nota viarum,
Devenisse locos ubi tum securus agebat
Ille diem summum, tanquam possessor et hæres
Legitimi vetus, aut delati sanguine regni.
Ipsum ibi tendentemque manus veniamque precantem
Ictibus innumeris fodiunt: cadit ille suorum
Insidiis, nequidquam externa pericula contra
Cautus, et hostiles gladios, bellique tumultum.
Qui sibi mole novam magna dum construit arcem,
Et spatia ingentis prætendit maxima muri,
Demens exitium media non vidit in urbe,
Et conjuratos ipsa intra mœnia cives.
Hunc illi finem vivendi fata dedere.
Nec satiata tyranni inimici pectora cæde,
Quin etiam (horrendum!) gaudent illudere victo;

Et super accumulant opprobria, denique ferro
Testibus exsectis, suspensum corpus in altum
Fune trahunt, et læta suæ spectacula plebi
Ostentant, cæsoque jubent sperare tyranno,
Et libertatis spe nescia pectora complent.
Interea portis aliena patentibus urbis
Præsidia accipiunt; sed jam tu cætera nosti.
Hæc ego pene oculis ut erant teterrima vidi;
Vidi fulgentes gladios, et sanguine sparsas
Pene manus, tepidumque recenti e vulnere telum,
Projectum canibus crudeli more cadaver,
Et circum denso volitantes agmine corvos.
Nec longum misera spectator in urbe moratus,
Cunctantem repeto navem, portumque relinquo:
Illa volat remis fluctuque impulsa secundo.
Jam procul apparent antiquæ tecta Cremonæ,
Apparet vastis suspectibus ardua turris.
Huc, quamquam facies traheret nos et situs urbis,
Non tamen est visum nautis appellere navem,
Ne prima tardus properantes luce moretur
Janitor, et clausis cogat subsistere portis.
Vicinam haud longe divertimus urbe tabernam:
Hinc pingues inter quos Mincius influit agros,
Virgilii vatis patriam devenimus; ad quæ
Se loca populifer gemina in divortia findit
Eridanus, bifidoque petit maris æquora cursu.
Proxima nos sedes habuit Ferraria Gallis

Sanguine ab insigni regis conjuncta Loysi:
Inde optata dies quamprimum postera luxit,
Clara solo pingui, studiisque Bononia legum
Excepit gremio lassos. Ibi finis eundi.

AD PONTRONIUM,

MARGARITÆ FRANCISCI REGIS FILIÆ PRÆCEPTOREM.

Pontroni, quid agit nunc regia virgo, quibus se
Oblectat studiis : utrum quibus ante solebat,
Virgilio, Flacco, Cicerone, aliisque Latinæ
Linguæ principibus? Reliquos hoc tempore sacro
Libros an manibus posuit jussitque valere,
Et solis operam sacris impendit? an æqua
Partitur ratione dies et tempora, fallens
Assiduum alternis indefessumque laborem?
Dic age; nam tu virgineos, dux ô bone, gressus
Dirigis, angustamque doces virtutis inire
Difficilemque viam, et raris tentata puellis
Parnassi montis juga, Castaliique recessus
Fontis, quem circum ludunt in margine Musæ.
Quid nunc regali quod munere possidet urbes
Egregias, lateque feracibus imperat arvis,
Quæ Biturix antiquus arat, Liger abluit undis
Per latus et multa ripas conspergit arena?
Atque hæc non proprios dominæ quæruntur in usus,
Non istos reditus, aut vectigalia carpit
Illa sibi; nam spernit opes, et despicit aurum :
Vos potius divina quibus sapientia cordi est,
Vos hæc tam præclara feretis præmia vates,

Agricolæ nulli, nulli nocitura colono.
  Felices nimium populos, felicia regna
Tam miti possessa manu, tam mollibus olim
Imperiis flexura caput : non pace feroces,
Longa aut militia duros habitura colonos,
Qui veteres cogant alio migrare relictis
Sedibus, et profugos secum adsportare penates.
Sed quales aut Elysiis in vallibus errant,
Aut fortunatas ubi finxit Græcia sedes
Oceano in magno, placidos, requietis amantes,
Nulliusque rei præterquam laudis avaros.
Felix Musarum hospitium, domus inclyta vatum,
Posthabitis quam virgo magis colat omnibus unam,
Conjugio veniant quamvis nova regna superbo,
Quamvis rex alios aliis superaddat honores.

AD GEORG. ARMENIACUM,

CARDINALEM.

Ex morbis quæ utilitas percipi possit.

Cœnanti mecum Fabro, manibusque recentem
Ac gelidam famulos poscenti, tristis et asper
Nuntius ecce tuæ mortis defertur in aurem
Fabro, qui jam usque a puero te semper amavit
Ante alios omnes, coluit plus omnibus unum.
Qualis cœna mihi fuerit tum, qualis et illi
Conjectare potes : pueros dimittimus ambo
Circum omnes urbis regiones, compita circum
Omnia, scitatum verusne hic nuntius esset,
Aut foret incerto tantumne auctore subortus.
Postera lux, et item quæ tertia deinde secuta est,
Atque omnes aliæ, depulsam corpore febrem
Ostendere tuo, meliusque valere; sed artus
Infirmos, pedibus rectis insistere nondum.
Quas Faber, atque Leo, quas tum persolvimus ipsi
Cœlicolum Regi grates? vel gaudia passim
Quanta fuisse putas sparso rumore per urbem?
« Certius hoc veræ nullum virtutis habemus
« Signum, quam quum etiam probitas incognita luctum
« Mœstitiamque refert aliis, tristesque virorum

« Sunt animi, tristes audito funere vultus.
« Propterea nobis felices esse videntur,
« Aut quibus integra morti succumbere fama
« Contigit; aut quibus ante, diem clausere sorores,
« Quam bene transactam sine casu et labe juventam
« Polluerint vitiis, et fulmine sortis iniquæ.
Si tantum sævi quinquennia prima Neronis
Sentiat, Augusti non valde Roma requirat
Tempora; non alium fletu majore sequatur
Et lacrymis regem, si vitæ hic terminus esset:
At gravis extenso parta est infamia regno.
Tu poteras felix nimium dicique beatus,
Dum fama et casu nullo graviore laboras,
Si Deus ad cœli te lucida tecta vocasset.
Nunc, quando et vitæ spatium produxit, et annos,
Ut par vita sequens tua sit, meliorque videbis;
Nec tantum venisse tibi sine numine morbum,
Neve puta jaculis frustra cœlestibus ictum.
« Sæpe Deus resides animos et inertia corda
« Excitat, inflammans pulchro virtutis amore;
« Aut oblita sui, rebusque elata secundis,
« Contrahit in gyrum, et dura compescit habena;
« Interdumque etiam vadentem tramite recto
« Compositoque gradu, tamen et calcaribus urget,
« Languida ne putri tabescant membra veterno.
« Ut vitiosus erit quadrupes, nisi sessor apertis
« Camporum spatiis exerceat improbus illum,
« Aut secat undantem multo nisi sanguine venam. »

Sed cur sæpe bonos graviter castigat, inultos
Cur Deus esse malos patitur? Mihi crede, « regendi
« Sunt hominum mores; natura nec ullius unquam
« Tam præclara fuit, tam puro facta metallo,
« Quæ, nisi sustineas, non pondere pressa feratur
« Ipsa suo, magnamque oculis det sæpe ruinam.
« Sic Deus humanis affectibus arte medetur
« Pene etiam medica: causas omnemque malorum
« Materiam resecat, vel quidquid inutile visum est.
« Ergo gemmarum captis fulgore, vel auri,
« Divitias aufert; ignominiaque superbos
« Afficit, et famæ cupidos vel laudis amantes:
« Impia sic hominum studia in contraria vertens.
« Jam timidis animosque, metumque audacibus addit:
« Jamque Dei cultum et veræ pietatis amorem
« Qui simulant, blando nimis et sermone per artem
« Composito, nigraque genis fuligine tinctis;
« Aut sua qui sperant probra dissimulare tegendo,
« Non patitur non ille diu longumque latere.
« Tum si qui nostrum recte præsentibus uti
« Nescivere bonis, aut non accepta tulere
« Illa Deo, si quisve alios ea vertit in usus,
« Defraudans inopes alimentis, qualia peccant
« Multa sacerdotes hodie: si fraude clientem
« Patronus, judexve reum, si tutor avarus
« Pupillum affecit, consanguineusve propinquum;
« Aut qui divinos homini tribuisset honores;
« Quique alia his faciunt paria, aut majora per orbem

« Mille modis, omnes varie castigat, et affert
« Unicuique bonus quæ sunt aptissima morbo.
« Ut doceat quæri nil posse, diuque teneri,
« Invitis nil posse Deis contendere quemquam :
« Ut bona discamus fortunæ et corporis esse,
« Atque animi, nobis dono concessa Deorum,
« Non aliquo stabili, proprio vel jure, sed usu,
« Quo, dator, usque volet, revocanda vel illa putabit ;
« Ut ratio nobis aliquando constet ad assem
« Et nummum discussa minutim. Namque sedebit
« Arbiter is, vigili qui cernit acutius Argo,
« Quem frustra aggrediare dolis, et fallere verbis :
« Tum vultus et frontis erit velamen inane,
« Nudi omnes, nudo ante Deum se corpore sistent,
« Cui nihil obscurum est, nil clausum, aut denique tectum.»
Hæc si nos imo penitus defixa geramus
Pectore, non stimulis, et non egeamus habenis,
Sponte sua decurret iter sibi quisque volenti
Propositum, Dominique libens mandata facesset :
Quæ si forte animis cujusquam oblita recedent,
Aut certe morbo tandem monitore redibunt,
Aut aliud nullum fas est sperare levamen.
Tum velut exuti vinclis et carcere cæco
Corporis, æthereas sedes lucemque tuemur
Jam propius ; tum præsidiis opibusque relictis
Omnibus humanis, timide et trepidanter ad unum
Currimus auctoremque Deum, fontemque bonorum :

Sive dies summus venit, ut secura mali mens,
Et conjuncta Deo, meliori fine quiescat;
Sive Deus vitæ spatium laxavit, ut ejus
Admonitu morbi, melior post vita sequatur.

AD CLAUD. ESPENCIUM,

NOBILISSIMUM ET DOCTISSIMUM THEOLOGUM, DE POESI CHRISTIANA JUDICIUM ET EXEMPLUM.

Qui, pater Espenci, qui fit res carmine sacras
Ut pauci tractent hodie, vix unus et alter,
Vatibus innumeris quum regia perstrepat aula?
An genus hoc hominum nullos (Epicurus ut olim)
Autumat esse Deos, et rident sacra profani?
An duram et sterilem fugiunt, neque versibus aptam
Materiem, in qua vix florens et nobile sese
Jactare ingenium, famamque adquirere possit?
An sincera decent in sacris, et sine fuco
Omnia, nec quicquam simulatum, sive per artem
Compositum, offerri fas est ante ora Deorum?
Qui pure casteque coli, si denique gaudent
Nudis simplicibusque animis verbisque rogari,
Carmina longe aberunt disconvenientia sacris:
Quæ nisi ridiculis fuerint differta jocisque,
Nil salis aut veneris, nil sunt habitura leporis,
Et sine futilibus nugis frigere putantur.
Namque adeo veterum si quis mendacia libris
Sustulerit, reliquum nihil est, quo possit inertem
Oblectare animum, tristesque excludere curas.
Nimirum hæc ars prima boni atque extrema poetæ,

Delectare oculos, aures, sensusque legentis.
Ipsa Deum tractans ortum sobolemque suorum
Græcia fabellis puerilibus omnia miscet,
Ornamenta negans et lumina versibus addi
Veridicis, variosque appingi posse colores.
Quæ si scribendi ratio servanda modusque est,
Nulli ultro venient ad mystica sacra poetæ,
Admittet nullos ecclesia nostra, quod olim
Socraticum memorant etiam statuisse Platonem.
Non tu, non alii qui dulces conditis hymnos,
Et dignas canitis cælesti numine laudes,
Non David rex ipse poetæ nomen habebit,
Mentiri nostra quia relligione vetamur.
Atqui matronæ, atque inter meretricis amores,
Plenaque luxuriæ convivia distat, et inter
Sobria; nec Phrygius sonus, aut delectat eosdem
Lydius; et gravis hunc demulcet, acutior illum.
Non omnes animi juvenumque senumque moventur
Iisdem carminibus: rudia atque incondita quosdam,
Culta juvant alios multoque subacta labore.
« Nos vero falsis, mendacibus atque malis Diis
« Versus illorum similes, similesque poetas,
« Et fucum, et veneres, et titillantia sensus
« Linquamus fœda et lasciva et inania scripta,
« Et quæ lecta docent peccare, animosque virorum
« Corrumpunt faciles, inhonestisque ignibus urunt.
« Ipsi unum æternumque Deum, cui mentis aperta
« Intima sunt nostræ, quem nil fugit aut latet usquam,

« Non prece concinna et vario discrimine vocum,
« Non etiam adstanti placituro carmine turbæ,
« Illum, inquam, summum, sanctum veneremur, et unum
« Pura mente Deum, nudoque ac simplice cultu,
« Ut simplex ipse est, nec re mutabilis ulla.
« Sit sermo incomptus, facilis, non anxius, omnem
« Ornatum fugiens, plenus gravitatis, ut intus
« Quæ concepta animo possit modo reddere sensa
« Plane, atque auxilio naturæ simplicis uno:
« Nec molli, aut fracto moduletur carmina cantu,
« Nec septem resonet testudo garrula nervis;
« Omnia digna Deo, cujus non cantibus aures,
« Non citharave lyrave humano more moventur.
« Quid vero ipsa Dei memorantia carmina laudes,
« Qualiacumque sacra vulgo cantantur in æde,
« Lætitia afficiunt animos auresque bonorum;
« Sponte sua, sine delectu, splendore vel arte,
« Et lenocinio sermonis : ut hæc tamen ipsa
« Si fuerint, ultroque locis injussa recurrent,
« Accipiam (nec enim est infans sapientia semper);
« Sin aberunt, nihil ipsa morer, valdeque requiram. »

Auribus et sanis, et sano austera palato
Verba placent, et vina magis : dulcissima quæque
Languenti stomacho referunt fastidia semper.

Ergo rem insolitam, te magno auctore, novamque
Aggredior, serasque tibi istius offero tanquam
Primitias generis, quas si placuisse videbo,
Maturis a me veniet tibi copia major

Fructibus, et meliora senex extrema reponam.
NATALEM festumque diem celebremus amici,
Natalem Domini nocturnis atque diurnis
Cantibus : hunc omnes casta puraque colamus
Mente diem, quo spes affulsit prima salutis,
Quo primum vitæ lucisque apparuit auctor,
Depulsis tenebris, et dira morte subacta;
Quo Deus ipse, Deo genitus, summoque parente,
Ante dies omnes, ante omnia secula, tandem
Temporibus summis cœlo descendit, et ultro
Factus homo est, voluitque integra e virgine nasci
Pauper et ignotus, Davidis non regis in aula,
Verum in conductis stabulis, asinumque bovemque
Inter. At ista novi ratio tam mystica partus
Nullius ingenio comprensa est, nullius ore
Decantata satis; quin visa est fabula Græcis,
Judæorum animos etiam formidine et ira
Confudit, non os hominis, non dicta ferentes.
Hi vero quamvis habiti plus omnibus essent
Ante Deo cari, tantam neque cernere lucem,
Tantum nec potuere oculis agnoscere regem :
Regem exspectantes auro gemmisque decorum,
Quales hic nostro reges dominantur in orbe.
At nos, gens aliena Deo (quis crederet unquam?)
Credidimus, pulsisque loco successimus illis.
Solvit amor superum longinquæ crimina culpæ,
Et prior officio noxa est obducta sequente.
Pro quo, nate Deo, tibi gratia major habenda est,

Qui nos exsortes, alienos, falsa colentes
Numina, legitimam in sortem numerumque vocasti
Gratuito, eximiumque dedisti nomen habere.
Sic a majore in puerum translata minorem
Spes regni, veterique novus prælatus honore
Civis, ut omne hominum genus ex hoc tempore cessèt
Laudibus aut se efferre suis, patrumve suorum;
Verum accepta Deo ferat omnia, qui bonus hostem
Ingratumque hominem, merito quum perdere posset,
Maluit incolumem, et magno servare redemptum,
Magno adeo pretio, vita, inquam, et sanguine nati:
Qui nos adjunctam nullo sibi fœdere gentem
Prætulit antiquis, aut certe æquavit alumnis.
Atque hunc venturum multos prædixerat annos
Ante Deus, nècnon sanctorum oracula vatum
Edita temporibus priscis, quin ipse recentem
Jam partu puerum Simeon cognorat, et ille
Qui pietate fuit nulli Baptista secundus.

Audierant patribusque suis scriptumque legebant
Regnaturum olim supremo in tempore CHRISTUM,
Virginis intactæ sobolem (mirabile dictu!)
Paupere Judææ vico qui duceret ortum,
Sammariamque puer spoliaret opesque Damasci,
Assyriam totumque sibi summitteret orbem:
Regem illum populis communem unumque futurum
Omnibus, amoto veteris discrimine gentis.
Hic erat ille Deo promissus patribus olim,
Flagitia antiqui culpa qui admissa parentis

Morte sua (sceleris tamen expers) ipse piaret.
Tantæ illi curæ nimirum vita salusque
Nostra fuit, tantique hominum genus esse putavit.
Sed populus surdas occlusit vatibus aures :
Pontifices etiam, scribæ, legisque periti,
Vipereum genus, et soboles infecta veneno.
Forsitan illa nimis poterant obscura videri,
Fallereque ignaros post tempora longa nepotes.
« Nemo etenim superum novit secreta deorum. »
Non omnes veterum cæca caligine pressa
Sensa prophetarum penetrarunt lumine mentis.
Atqui vita hominis divinaque facta movere
Debuerant animos, aversaque pectora vero.
Ecquis homo potuit defunctis reddere vitam ?
Quis cæcis aperire oculos, vestigia claudis
Dirigere ? humano vel dæmona corpore clausum
Dejicere in tenebras Orci pelagique profundum ?
Quisnam hominum Cerere exigua, paucisque minutis
Piscibus, exsaturet plus millia quinque virorum ?
Quis, quum deficeret vinum, commutet aquai
Infusos urnis latices in dulcia vina ?
Quis nutu maria et cœlum, quis temperet austros ?
Aut quis iter medium pedibus secet æquore in alto ?
Cujus morte suos, tantum quum ferre nequiret
Flagitium, radios obscura nocte premat sol,
Concussusque novis jactetur motibus orbis ?
Multaque præterea, quæ sit percurrere longum,
Judææ factum non excusabile gentis

Ostendunt, pravos animos et ferrea corda.
Bos asinusque suos, necnon pecus omne, magistros
Noscit, et ore manum ludens tractantis aperto
Excipit, auriculis et cauda et corpore toto
Gestit ovans, dominoque suo se subjicit ultro.
Hi dominum et regem claris tot vocibus ante
Promissum, tam multa suæ virtutis in omni
Signa loco dantem, magna et cœlestia signa,
Omnibus affecere malis, lethoque dedere.
Scilicet in patria vates fuit atque propheta
Nemo sua : fabro Mariaque e paupere natus,
Nulla vi, nullis opibus subnixus, in alto
Regalique throno sedeat. Non cognita, semper
Miramurque externa magis, neque perspicimus rem,
Sed specie capimur potius vel imagine falsa.
Et quia nec capite in summo diadema gerebat,
Et neque sceptra manu aut insignia cætera regum,
Creditus ignaram planus est seducere plebem.
Quum tamen imperium in mundo regnumque negaret
Esse suum, claraque per oppida voce, per omnes
Clamaret vicos, quæ pars hominum optima, solas
Servatum venisse animas, nullum amplius Orco
Imperium, nullum fore jus, ut semper, in illas:
Regibus humanis se res permittere, necnon
Corpora, tantum animas propriæ seponere curæ.
Nemo Deum novit, nisi cui concesserit ille.
Græcus in hanc curam primis jam protinus annis
Incubuit sapiens. Id se Judæus adeptum

Legis ope, et cœli penetrasse arcana putavit:
Stultus uterque tamen nimiumque superbus, inanem
Frustra operam impendit, confisus viribus alter
Ingenii, patriis inflatus legibus alter.
« Demissos animos Deus et non magna professos,
« Nil se sponte sua moliri posse fatentes,
« Diligit, his aperit potius se, datque tuendum,
« Non qualis quantusque est ipse, tamen nec aperto,
« Ut perhibent, velo, sed tanquam in imagine et umbra,
« Ac velut in speculo rerum simulacra videntur.
« Nam sperare Deum penitus cognoscere nulli
« Fas hominum, cœlis obita nisi morte recepto. »
Pastores igitur, simul illos montibus altis
Nuntius excivit, claro demissus Olympo,
Numen adoratum gregibus venere relictis,
Et cecinere Deo laudes et carmina læti;
Angelicæ voces illis quum hæc verba præirent,
« Pax homini in terris, Domino sit gloria cœlo. »
Hanc quoque vim sensere Magi cœlestibus acti
Carpere iter monitis, quos longe oriente profectos,
Ignarosque loci præcessit sidus euntes;
Et dux stella viæ supra caput adstitit ipsis,
Dum stratum fœno et palea subiere cubile,
Ternaque lactanti puero tres dona tulere.
Hinc rediere domum loca per secreta viarum,
Admoniti in somnis crudelem fallere regem.
Sic puer in primo sese pastoribus ortu
Ostendit potius, magnas habitantibus urbes

Posthabitis, externam adeo gentemque remotam
Prætulit Hebrææ, Judæa natus in ipsa.
Scilicet hæc tanti cunabula prima fuere
Regis, conditio adspectu vel pene pudenda.
Ne quæras factum qua sit ratione doceri,
Ni dubitas fortasse Deum omnia condere posse
Pro libito, qui cœlum ingens terrasque creavit
Et maria ex nihilo, qui primum e pulvere terræ
Formavit digitis hominem, costaque jacentis
Detracta lateri, finxit, mirabile dictu!
Evam Adamo sociam mensæ lectique jugalis.
Adspice non hominis formam, servoque minorem
Vestitum et cultum, sub quo divina latebat
Majestas: verum quæ mox illustria signa
Affulsere ipsi nascentis origine prima?
Namque ut sol oriens tenebras fugat aere toto
Lucem lætitiamque ferens animantibus, ortu
Sic puer ille suo, plenam caligine noctem,
Quæ nostris jampridem animis insederat usque a
Principio mundi, veniens excussit, et omnes
Cœlesti puras implevit lumine mentes.
Quin etiam magicas et falsas sustulit artes,
Et Pythia, et quæ alia in terris oracla fuere,
Omnibus ex toto regnantes orbe fugavit
Dæmonas, ejectos tenebris inclusit et Orco.
Jamque deos omnes varios, quos ante colebat
Impia gens, et quæque suo sibi finxerat olim
Arbitrio, specieque hominum, specieque ferarum,

Expulit; et Græcæ varios longosque labores
Gentis, in exacta penitus ratione Deorum
Quærenda, ostendit pueriles et sine fructu:
Rem longam, varioque diu sermone styloque
Jactatam ingeniis sapientibus atque disertis,
Qua felix homo re fiatque beatus adepta,
Quæ virtus sit prima loco, quæ præmia cuique
Virtuti, quæ sint vitiis post tempora vitæ
Supplicia, et quæ æterna domus sedesque futura
Corporibusque animisque, rapax quum verterit ignis
In cinerem terras, et quod tegit omnia cœlum.
Hæc obscura prius prædictaque vocibus olim
Ambiguis, puer explicuit Salomonis in æde,
Congressus scribis primum legisque peritis,
Quum doctori operam nulli tamen ante dedisset.
Idem, post firma sapiens ætate magister,
Legit discipulos piscatu et retibus ægre
Vitam inopem et duram tolerantes, nullius artis
Imbutos studiis, nullo doctore politos,
Non opibus, non et lingua aut sermone potentes:
Ne putet humana vi quisquam jacta vel arte
Fundamenta novæ tum relligionis, et illam
Deceptosve dolis homines, armisve coactos
Accepisse; fuit simplex et nescia fraudis
Gens prior illa deum. Namque ipso in limine primo
Ostendit, quæ spes illos, quæ vita maneret,
Sanctorum qui se numeris adscribere vellent.
Non quo more solent vani suavissima primum

Hospitibus lætis caupones fundere vina,
Illa deinde acri aut acido miscere liquore:
Frons erat asperior multo quam deinde recessus;
Nil blandum, fictumque nihil quod fallere posset.
Omnia dura viris, adspectuque horrida primo.
Namque jubebat eos patrimonia vendere nummis,
Et pretia in medium conferre jubebat alendis
Pauperibus (satis esse homini vestemque cibumque),
Linquere amicitias omnes, omnesque propinquos,
Rerum humanarum prorsus nil ducere curæ,
Uni consecrare Deo se, unique dicare.
Cætera, quid? fortassis erant proclivia? sedes
Perpetuas cœlo post istam denique vitam
Promittebat, iter durum tamen atque fragosum,
Damna per ærumnasque graves multosque labores,
Et turpes ignominias et vincula dura:
Denique supplicii omne genus prius esse ferendum,
Quam promissa Deo post mortem præmia ferrent.
Hæc poterant homines tum deterrere paternis
Ne vellent domibus migrare, suisque relictis
Incertam atque vagam et sine tecto ducere vitam,
Fatalemque diem sæva præcurrere morte.
Nam propiora solent et jam jam oblata vereri
Vulgo homines, neque spe dubia præsentia mutant.
Attamen exactis tercentum haud amplius annis,
Omnes relligio nullo discrimine sexus
Ætatisve, humiles et egenos, ac sine censu
Primum, mox etiam locupletes æris et agri;

Deinde magistratus etiam regesque superbos,
Omnes sponte sua sine vi, sine fraude, volentes
Cepit, et oblitos patriæ rerumque suarum,
Tanquam alto longa excitos post tempora somno,
Suasit inire novum vitæ genus, atque futuram
Illam jamque isto meditari in corpore vitam;
Omnibus audenter caput objectare periclis;
Non quodcumque malum, non ipsam horrescere mortem;
Denique et hoc spatium breve sic transmittere vitæ,
Ut qui prætereunt saltus et inhospita tesqua,
Desertas Libyæque domos, aut turbida tranant
Æquora, ut optatum quamprimum attingere portum
Possint, et capere in patria sine fine quietem,
Defuncti innumeris terræque marisque periclis.
  Felices, oculis coram quibus illa tueri
Contigit, ac voces et verba audire loquentis:
Quæ prisci ante patres, prisci cupiere prophetæ,
Nec videre tamen, sed prospexere futura.
Nec dum etenim præscripta dies et debita fatis
Venerat: interea spes illos dulcis alebat,
Et loca post mortem justis concessa petebant.
  At nos auditis si credimus, haud minor olim
Nec minus ampla manet merces et gloria cœlo.

AD JO. BELLAIUM,

CARDINALEM ET EPISCOPUM HOSTIENSEM.

Donec vos bello miles vexavit Iberus,
Te mihi, Bellai, rescribere posse negabas :
Atque etiam vacuo nunc cessas hostibus agro,
Deque die menses, de mensibus extrahis annos.
Quis scit an hæc mansura diu sint otia Romæ?
Depulsus, non fractus abit, qui venerat hostis.
Extera si desint, non intestina deesse
Bella diu poterunt. Domini mutantur in horas.
Tam præclarus honos pretio tentatur et armis :
Ipsi dira movent inter se prælia fratres.
Nec tu, si cupias, tamen hæc spectare sedendo
Possis : ingenium tibi Dii, viresque dedere,
Ut tua præcipue suffragia quisque reposcat,
Nec leve momentum, quocumque accesseris, addes ;
Forsitan et si lege viri, si more legantur,
Proximus iste gradus primo succedat honori.
« Tam varias est nulla vices experta potestas,
« Nec ludo fortuna magis se prodidit ullo.
« Vita brevis, species et imago simillima scenæ :
« Cætera desperant obscuro sanguine nati
« Imperia, aut magnæ dominatum gentis apisci ;

« Hanc modo summa tenet, modo sors rapit infima sedem,
« Nec regnum est aliud miseræ sperabile plebi :
« Infelix regnum, si cui vel propter honorem
« Expetitur, vel divitias, vel quo mage luxu
« Diffluat, et multo vivat pulchellus in auro. »

Da mihi pontificem, qui non æquare nepotes
Regibus, et Latio non sit meditatus in ipso
Nomen et arma, suæque insignia ponere gentis,
Europæque omnes populos armare, ferasque
Saltibus Italiæ mediis committere gentes.
Non sic Petrus, et illa piorum lumina patrum,
Isto qui sedere loco, primique per omnem
Europam atque Asiam sparserunt semina veræ
Relligionis, et hanc laudem peperere futuro
Pontifici, reliquos omnes ut præstet honore.

Non illis ferro longe protendere fines
Cura fuit, non armatis sua regna tueri
Militibus : verum contenti paupere tecto,
Quærebant victum manibus, veniamque Deorum
Numina poscebant cum fletibus et prece multa
(Nam quid se ferro, quid se tutetur et armis,
Sævo carnifici jugulum qui porrigit ultro?);
Spes regni cœlestis erat, quod vertere nulla
Vis hominum, quod nulla dies consumere posset.

Quorum si tibi mens imitari facta virorum,
Me, Pauloque auctore, licet tibi maxima Roma
Serviat, et septem jus dicere collibus optes :

Sin te delectant brevia hæc perituraque regna,
Æternasque domos contemnis, spemque futuri;
Tam bellum tamen ingenium periisse dolebo
Romano in portu, clademque auxisse priorum.

AD ODETUM CASTILLIONÆUM,

CARDINALEM.

Consolatio in matris luctu.

Tu quem tot natura bonis ornavit abunde
Corporis atque animi, genuitque ad maxima rerum;
Quem dulces proprio lactarunt ubere Musæ;
Cui mox, quæ tua laus, accessit plurima virtus,
Et quæsita diu magno doctrina labore;
Quem Pallas sapiens, et Palladis æmula Juno
Certavere suis cumularet largius utra
Muneribus, pulchramque dedit Venus aurea formam;
Tu tantum capias in matris morte dolorem,
Et lacrymis oculos perfundas oraque fletu,
Ut neque nox requiem, neque lux solatia possit
Huic præbere malo, nec sermo fidelis amici?
Nequicquam attigeris libros, et sancta Platonis
Dogmata; nequicquam Paulum contriveris usu?
« Scilicet hunc vitæ cursum statuit Deus, ut quum
« Certis quisque suum spatiis descripserit orbem,
« Solvat in extrema naturæ debita fini. »
Respice quam variis, hominum, natura figuris
Illudat generi. Lucem fugit ille priusquam
Sentiat et quid inest dulcedinis, et quid amari:

Ille sibi tardos queritur procedere menses
Quem manicæ, pedicæve, et tristis pondera ferri,
Aut bubulo metus a nervo remique fatigant,
Aut rigidæ leges, et squallor carceris atri :
Quosdam judiciis fortuna oppressit iniquis,
Et delatorum voces et principis ira.
Hunc vero, quum divitiis et rebus abundet
Omnibus, infames circumstant undique morbi ;
Tabescit, frustra medicis confisus et auro.
Hunc duræ vexant hyemes, aut turpis egestas
Conficit, illum lapsus equi, murique ruina
Præcipitem dedit, aut fatali machina telo,
Externa jacuit projectum corpus arena.
Ergo omnes sine delectu puerique senesque
Intereunt, moriturque immensa potentia regum.
« Sed neque mors aut est, aut debuit illa videri,
« Quam melior deinceps æternaque vita sequatur :
« Nec gravis hospitii mutatio, quum loca putri
« Hæc congesta luto, claris mutentur Olympi
« Sedibus, et magno ponas vestigia cœlo. »
Jam quibus exuimur rodentibus intima curis,
Quam varios capitis, renum, laterumque dolores
Effugimus, (quæ sunt conjuncta incommoda vitæ,
Præsertim senior quum nos oppresserit ætas,
Et male transactæ ratio reddenda juventæ.
Quod si mens etiam fuerit sibi conscia recti,
Præterea soboles si grata, piique nepotes
Contigerint, vere Diis illum credere amicum

Possis; jure queas etiam appellare beatum.
Felicem merito celebravit Roma Metellum,
Exanimis cujus nati subiere feretrum
Quattuor, illustres famaque et honoribus urbis.
Nec minor Argivæ ducenda est gloria matris,
Quæ quondam natorum humeris invecta suorum
Ad delubra Deæ venit plaudente caterva
Circumstantum hominum. Nil sane optatius illi
Tum fuit, in mediis animam quam ponere natis,
Jucundos amplexus inter et oscula grata.
Sed non respondere suis pia numina votis.
Quam multo hæc in matre tua majora fuere
Omnia, sive quis intus eam, sive adspicit extra.
Vixit enim summo nupta atque innupta pudore,
Fortem nacta virum, quo Gallia sæpe tribuno
Rettulit innumeros superato ex hoste triumphos;
Et super hæc pulchram genuit pulcherrima prolem,
Et teneros aluit partus, et vidit adultos.
His defuncta bonis tot, supra vota precesque
Felix prole sua, felix et prole suorum,
Longum ætatis iter multos emensa per annos
Viribus integris animi, secura futuræ
Post paulo vitæ melioris, ad astra recessit.
Quæ bene perpetuo traductæ clausula vitæ
Hunc tibi mœrorem ex animo detergere prorsus
Debuerat, tristemque in gaudia vertere luctum.
Tu sis innumeris natura instructus et arte
Pene bonis; tamen et medicinam a tempore poscas,

Et miser exspectes, stultorum more, quousque
Tandem longa dies tibi sera oblivia portet?
Quin ratione magis tantum sedare dolorem,
Et lente gradiens decuit prævertere tempus.
Hoc decus et ratio suadent, ipsique parentis,
Si fari possent, manes, tuaque inclyta virtus;
Hoc te Bellaius, qui se modo principis aula
Proripuit, comitesque suos urbemque revisit;
Hoc sacri vates, aliique rogamus amici;
Denique et ipsa rogat te patria, voce canora
Quanta vi studioque potest absistere luctum,
Nec se deserere, officio et pietate priorem,
Publica privatis præponere commoda damnis.

AD JO. BELLAIUM,

CARDINALEM ET EPISCOPUM HOSTIENSEM.

JAMPRIDEM numero menses, et tempora et annos,
BELLAI, retroque oculos et lumina flecto,
Si quis te nobis casus, tua si qua voluntas
Huc refert; votis sed enim contraria nostris
Numina, et aversam videor cognoscere mentem
Esse tuam, patriaque aliud curare relicta.
Atque utinam primos tenuisses fixus amores,
Nec malis hodie Romæ tamen esse secundus,
Quam regnare domi, primamque insistere sedem
In patria, quæ te genuit, quæ fovit alumnum.
At male, Roma, tibi male sit, quæ vulturis instar
Horrifici, totum varie dispersa per orbem
Omnia bella voras; argenti quicdquid et auri est,
Quicdquid opum, nec tot rerum contenta rapinis
Ingluviem explevisse tuam, quodcunque virorum
Egregium est usquam rapis, et clarissima quæque
Ingenia, ut tanquam delectu gentis acerbo,
Plorent quæque suis orbatæ civibus urbes.
Non tuus immanis sine causa Romulus auctor
Lac fertur suxisse lupæ; non deinde coloni
Rupta pace tui matres rapuisse Sabinas.
Sed quinam tibi te cantus, quæ carmina mentem

Eripuere tuam, qui succi, herbæque nocentes,
Bellai? quis te vanissimus imbuit error?
An sperare licet demi quoque posse monendo
Errorem, aut scriptis, aut voce fidelis amici
Hunc tibi? ni refugis, claudisque monentibus aurem,
Experiar si quid poterunt mea carmina, verus
Quæ dolor expressit: sed quo te ignoscere nobis
Æquius est, si quid stylus ardens scripserit ira
Jucundum gratumve minus; stat nulla dolenti
Scribendi ratio. Namque hinc te maxima postquam
Roma tulit, non prata mihi ridere videntur;
Non nemora et silvæ dulces præbere latebras
Vatibus hic nostris, et mollem desuper umbram.
Ipse parum fluvio delabi visus amœno est
Matrona, teque diu nimis indignatus abesse
Turbidus adversas dejectum tendere moles,
Et super imposito colli præbere maligne
Visus aquam, solidumque obniti rumpere plumbum.
Quinetiam visæ nobis sudare Deorum
Marmoreæ effigies, tua qui promissa secuti
Ad nos tam longe Roma venere relicta:
Qui te si sperent tam longum hinc abfore tempus,
Nunquam traduci sese patiantur ab urbe.
Pomona ipsa referta sinum, caducifer ipse
Hermes, ipse tuus lacrymari visus Apollo est:
Atque novem supra stantes in limine Musæ,
Et pater Herrici regis, qui præsidet illis,
Musarum dum vixit amans, vatumque piorum.

Hæc vidi his oculis semel ex quo lætus abisti,
Et dixi lacrymans: neque vos post ipse videbo,
Dum veniat tum vestra tulit qui gaudia secum.
Tantum homine est tantum momenti et laudis in uno,
Ut quæ visa modo est velut aurea tota nitere,
Mutato sordescat hero domus, omnia perdant
Ornamenta suum veluti consputa decorem;
Ac quum se medium lunæ inter solis et orbem
Terra facit, clausoque obscurat lumine cœlum.
Quid si nunc oculis tua Sammoriana videres
Prædia, Bellai, tanto tibi culta labore
Ac studio, dum te nostri patriæque tenebat
Cura tuæ, nunc plena situ, nunc aspera ruscis,
Lappis et tribulis? Quid si quas ante solebas
Tectus inire vias frondosæ vitis in umbra,
Aut inter quercus, proceras inter et ulmos,
Sive jugis, seu valle cava, nunc sentibus hirtis
Horrentes, et sponte sua nascentibus herbis?
Nunquam, quæ tua mens aliis mihi cognita rebus,
Abstineas nunquam lacrymis; simul illa vel optes
Non exculta prius, vel non jacuisse relicta.
Forsitan et nostri, sis forsitan atque Leonis,
Doctorumque memor comitum, qui semper euntem
Pone sequebantur; quorum pars lumine cassa est,
Pars et vivit adhuc, et te cupit ante videre
Quam mors atra caput nigris circumvolet alis.
« Ut superinducta qui pellice, prima refugit
« Conjugia, inque novis defixus amoribus hæret;

« Post hyemes aliquot, satias ubi ceperit illum,
« Concubitus repetit veteres thalamumque priorem :
« Sic multos hominum peregre in longinqua profectos,
« Quum gravis illorum incubuit cervicibus ætas,
« Rursus in antiquæ gremium descendere matris,
« Rursus prima suæ cunabula visere gentis,
« Rursum haurire juvat lucem nascentibus haustam,
« Et fessa in patrio deponere membra sepulchro. »
Hoc Laertiades sese debere putavit
Hoc Ithacæ scopulis; idem sapientibus, idem
Omnibus est aliis animus: sed fata morantes
Dura intercipiunt. Nam cur exempla recurram
Nota tibi sacris exstant quæ plurima libris?
Ex quibus insignes pietate Deoque placentes
Quosque viros, discas, tuto quum maxima possent
Et bona multa frui qua tum regione sedebant,
Externis vitamque beati degere terris,
In patriam sedesque suas rediisse libenter
Cum natis et conjugibus servisque, paterno
Inde suos condi cineres mandasse sepulchro.
Quæ non aspernanda aliis præcepta videntur
Omnibus esse, tibi longe minus illa, sacerdos
Magne deum; nobis qui non modo voce præire,
Sed factis etiam debes atque ordine vitæ.
At speciosus honos, capitisque insigne superbum,
Te Romæ retinent, et lati purpura clavi,
Princeps inque tuo locus ordine, jusque rogandi
Collegas, quæ cuique animo sententia sedit.

Usque adeo magnum est Romæ in primoribus esse,
In partesque venire alio rectore secundas,
Ut tibi non potior tua sit provincia, juris
Tota tui? Romam quæ saltem hoc nomine vincit,
Quod caret invidia, caret ambitione potentum,
Nec fugere insidias, aut cuiquam tendere curat.
At neque purpurei nulla est hic gloria panni,
Nullus honos, sed par, vel non minor esse videtur:
Excepto, quod non, qualis quum pompa sacrorum
Transvehitur, gravis et longus præit ordo clientum,
Nec litui celsa cantus modulantur ab arce.
Sed quos te memini contemnere semper honores,
Et ruber invito primum tibi tempora texit
Pileus, et nunquam nimium lætatus adepto es.
Hic mihi consilium pravumque parumque fidele
Objicient plerique tui, qui coner ab isto
Te revocare gradu, cui proximus usque videris.
Primum, hujus, puto, nulla rei te cura quietum
Sollicitat, quia post mala rem quam multa sequantur
Prospicis, et potes hoc felix sine vivere regno.
Deinde (bonas quoniam pulsat quoque gloria mentes)
Si mihi compertum certis rationibus esset
Pontificem fore te, gauderem non minus illis,
Nec causa tamen ipse tua, sed quod nihil urbi,
Aut orbi cadere utilius potuisse putarem.
Sed quum pontificum vitas et facta recordor,
Aut immaturæ percussum fulmine mortis
Quemque bonum video; aut vitam mutasse priorem,

Et cœlo genus usque suum nomenque tulisse,
Accisis opibus regni generisque Latini,
Neglecta pietate simul, cultuque Deorum.
Ut tua sed virtus tibi mentem præstet eamdem
Perpetuo, nec quidquam excepto nomine mutes:
Attamen hunc qua spe vetulus secteris honorem?
Quæ tibi sive hominum cadet irrita fraude malorum,
Qui meritis veræque negant suffragia laudi,
Seu quocumque alio, nam mille pericula, casu;
Sero te sensisse dolos, et vana secutum,
Nec Spartam coluisse tuam, sortemque dolebis:
Sive tibi surget triplici caput altius auro,
Et tandem Petro dignum tua Roma videbit
Pontificem; tamen ista seni quam longa manebunt
Imperia? aut hæc præteragetur quam cito scena?
Quid, tam corruptos mores formare diebus
Tam paucis poteris? merces excludere templis?
Virtuti meritos uni concedere honores?
Deerit et ipsa dies, deerunt et tempora, quamvis
Sit præstans animus, quamvis præclara voluntas.
Tum gravis extremæque malum commune senectæ
Tardus, iners fies, et amans requietis et oti:
Non eadem vis mentis erit, non acer ut ante
Spiritus, aut quale est juvenili in pectore robur.
Sic tu, quum possis patriæ prodesse, salutem
Illius abjicies, nec eris tamen utilis urbi.
Adspice deinde quibus studiis quantaque ferantur
Ambitione patres, quanto simul omne tumultu

Concurrat Latium, totus fremat excitus orbis,
Defuncto quoties petitur successor et hæres
Pontifici, clausumque tenet conclave senatum.
Plus ibi sæpe valent partes et nomina regum,
Gratia, spes, odium, metus, et promissa potentum,
Quam pietas et quam virtutis nomen inane;
Quidquid erit, nimis hæc magno victoria constat.
Et quoniam bissena tamen jam lustra peracta
Sunt tibi, quæ non longe ætas solet esse sepulcro,
Jam tempus fluxum et fragile hoc deponere regnum,
Moliri cœloque domos æternaque regna;
Non facit immortale tuum vel purpura corpus,
Non faciet triplicisve decus regale coronæ.
Quin etiam minimum ratio poscetur ad assem,
Quæ mage difficilis tanto graviorque futura est
Ante Deum, quanto fuerit provincia major.
Ergo si meliora voles audire monentem,
Sive aliquid patriæ lacrymis dare, sive tuorum
Assiduis precibus, nos vere ineunte revises,
Bellai: sin fata negant, aut spernis amici
Jussa tui, tu nescio quæ tibi gaudia posthac
Promittas; ego mi lacrymas et spondeo luctum.

AD ACHILLEM BOCCHIUM,

EQUITEM BONONIENSEM, ET PRÆSTANTEM POETAM, DE FIDE CHRISTIANA.

Bocchi, percelebri jamdudum cognite fama
Trans Alpes Rhodanumque mihi, modo versibus illis
Queis hominum mentes divino incendis amore
Ad verum fidei cultum, cultumque Deorum,
Noscere te cupio, numerumque augere tuorum.
Certum est versando assidue cum principe vatum,
Si minus est licitum primis, aut stare secundis,
Attamen extremum non claudere turpiter agmen.
Dicam igitur recinamque prius cantata, velutque
Magno discipulus referam dictata magistro:
Corporis ut moles animi terrena vigorem
Deprimat, objectaque velut caligine noctis
Impediat prorsus ne possit lumina sursum
Tollere, ne possit cœlorum arcana tueri;
Verum oculos tantum defigens rebus in imis
More suum, versetque lutum, versetur in illo.
Quas animi tenebras, tanquam sol lucidus, olim
Discutit alma fides, vel, si quis dicere malit,
Mens accensa fide! Quis enim cœlestia possit
Solers humanis adipisci sensibus, ut non
Cursitet huc illuc variis erroribus actus,

5.

Sæpe etiam falsa ludatur imagine rerum,
Dum velut obtuso penetrat solidissima telo,
Et quæ sunt oculis impervia cernere tentat?
Jam remove crasso fixos in corpore sensus;
Da mihi quamvis ingenium penetrabile, quamvis
Fecundum, huc omnes humanas junxeris artes,
Sit mihi ter purum, sitque omnis ponderis expers,
Pernix, aerium, partesque volubile in omnes
Non illud terra hærebit, perque ima feretur,
Altius ingrediens cœlo se credet aperto,
Et lunam et solem et reliquos circumdabit orbes
Stellarum, certosque aditus reditusque notabit.
Idem si forsan cupiet cognoscere causas,
Auctores rerumque Deos evincere cœlo,
Tum vero sese multos mens nescia passim
Induet in laqueos, quæretque in lumine lucem,
Diis adeo magnis impar, dabit inde ruinam
Præceps ex alto liquefactis æthere pennis:
Ut male qui servans cauti mandata parentis
Icarus Icario dedit olim nomina ponto.
Talibus innumeris est omnis plena vetustas
Exemplis, tales produxit Græcia multos,
Quos nimium vano sapientes nomine dixit,
Rixantes linguis sive mente loquacibus ultra
Femineum morem, aut cornicum nube volantum,
Nullos pene duos similes eademque probantes,
Dum vel posterior convellit dogmata primi,
Aut placita alterius decretis dum sua præfert,

Moliturque novam proprio de nomine sectam.
Nec tamen inventus qui per tot secula verum
Viderit infelix, non est qui proxima vero :
Donec sancta fides dono demissa Deorum,
Primum se tenui populo gentique minutæ
Miscuit, ingeniis nimium despecta superbis.
Inde per ærumnas, cædes, tormenta piorum
Evasit, nulli patiens succumbere fato ;
Nobiliumque domos et regum tecta subivit,
Signaque per totum victrix circumtulit orbem.
Non aquila huic signum, non minotaurus, imago
Terribilisve feræ, miseros quæ terreat hostes :
Crux est sanguineis maculis distincta, trophæum
Illius a quo sancta fides manavit in omnes.
At non carnificem, non hostibus illa minatur
Exitium, quanquam gravis illos luce carentes
Pœna manet nigri quondam Phlegethontis ad undas :
Omnia dura suis ostendit, vincula, cædes,
Lethi infame genus, pendens e robore corpus.
Ut sint nimirum levia hæc, nihilque putentur,
Perficit alma fides ; quæ quum semel hæserit intus,
Et penitus nostris fuerit concepta medullis,
Continuo totam rapit ad cœlestia mentem,
Præcipuoque Dei summi devincit amore,
Et facit ut credat quæ vix credenda videntur :
Fortunam victrix incommodaque omnia vitæ
Subjiciat pedibus, gemmas contemnat et aurum,
Quæque aliá insipiens bona vulgus maxima ducit ;

Ac meditata mori quod sæpius ante diuque
Est, referre sua credat nihil, an bene membris
Sit capitive suo, quæ vix sua judicat esse.
Ergo non illa humanis rationibus ullis
Orbes stellarum penetrabit et intima cœli,
Non arcana Dei, non credita mystica paucis,
Per se vique sua poterit cognoscere tantum:
Verum terrenam sibi molem et vincula demet
Corporis, ac posita, velut anguis vere, senecta,
Sola nixa fide, tanquam pernicibus alis,
Nuda super lunam et solem super astra feretur,
Ante Dei faciem donec se sistat, et illo
Freta velut speculo facile omnia cernat ubique.

AD LANCELOTUM CARLUM,

EPISCOPUM RHEGIENSEM.

Dissimulare etiam potuisti, Carle, tot annos?
Dissimulare aliis? et quod mage miror, amico
Tam caro veterique, tuæ tam laudis amanti,
Tantum, Carle, decus? tam raram carminis artem
Scribendi? quum tu præsertim nostra legendo,
Quamvis dura tamen, quamvis inculta, probares.
An tu dissimules, qui tam mihi candidus olim
Visus eras, animique aliis in rebus aperti?
Quid causæ est igitur? tibi scilicet ipse canebas
Et Musis, plausumque dabas tibi solus, amice.
Sic laudem refugis? meritos sic spernis honores?
Sic tibi odoratæ sordescit, magne poeta,
Frondis honos? pulchræ sic vilis gloria palmæ?
Atqui larga tibi fecundo copia semper
Ore fluit, quoties aliorum carmina laudas,
Et vates nullis hominum postponis, et ipsam
Ferre soles meritis ad cœlum laudibus artem.
An super Aonios saltus, super ardua montis
Parnassi rapidis te Pegasus extulit alis?
Castalioque avidus postquam de fonte bibisti,
Mutatus subito es, factusque repente poeta?
Nam quod, amice, tuis fingis te lumine captum

Versiculis, et me vestigia cæca regentem,
Non agnosco: vide potius confixeris ipse
Ut lippos cornicum oculos, et ademeris omnem
Spem reliquis, tua scripta legent quicumque, poetis
Scribendi versus. O vatum pectora cæca,
Lactentem hunc adeo catulum qui surgere passi,
Nec fixere prius telis et arundine densa,
Quam subito incipiens latratus edere magnos,
Et vocem tulit et fauces compressit adultis!
Quod mihi notus eras quoniam magis, ipse futurum
Prospexi. Sed enim numero seclusus ab illo,
Spernebam capiti non impendentia nostro,
More hominum qui sæpe aliena pericula rident,
Et quasi præcipiens animo ventura sagaci,
Sperabam dominis me posse volentibus ipsis
Delibare aliquid de tanto laudis acervo.
Namque leves Musæ nobis abiere relictis
In Druidum silvas, loca sentibus horrida, postquam
Venimus, et miseris lites ordimur acerbas
Judicibusque reisque; sed o vos nectare poti
Respicite hunc nostrum assiduum ingratumque laborem,
Et nos his pressos aliquando exsolvite curis.

AD ILLUSTRISSIMUM
PRINCIPEM CAROLUM,
CARDINALEM LOTHAR.

Consolatio adversus reliquias diuturni morbi.

Ut biduo plane perii, biduoque revixi!
Nam tum qualis erat mea mens, quam fracta pavore
Nobis fama tui venit quum nuncia morbi.
Ut se collegit, nullum simul esse periclum
Audiit, alternaque levari membra quiete.
Nunc regi superum merito persolvimus omnes
Vota pii, nostras pro quo formidine mentes
Solvit, nunc precibus votisque reposcimus illum
Hujus relliquias a te depellere morbi.
Te vero cui parta salus est munere Divum,
Et quem lætari decuit plus omnibus unum,
Conturbare tuo narrant communia vultu
Gaudia: te referunt nil visum tristius unquam.
Et quæ causa tui mœroris tanta? quid ipse
Quid male tam de te meritus data munera cœlo
Respuis, et suavem tibi rerum subtrahis usum
Invidus? Atqui nulla videtur causa dolendi.
Omnia sunt belleque foris pacata, domique,
Consilioque tuo, atque Errici principis armis.

Venimus, et tantum sine sanguine vicimus hostem,
Et regi veteres cessit Germania fines,
Libera, crudelis manibusque erepta tyranni.
Nec minus arridet privatis sors bona rebus:
Nam quæcumque homini contingere maxima possunt
A superis, et quanta vel ausit poscere nemo,
In gremium delapsa tuum profusius omni
Imbre fluunt. Tu vivis, et omnibus esse beatus
Crederis. At quid possideas tamen intus et extra,
Et quæ circumstent bona te nescire videris.
Verum hæ relliquiæ, morbi velut umbra prioris,
Contristant animum, spes vana metusque futuri.
Non ego te solabor, uti fecisse leguntur
Quidam olim, quia scilicet uno crure laboras,
Euge, bene est, o amice, valent si cætera membra:
Et primis horis quoniam sine febre fuisti,
Præclare est, quamvis accessit vespere febris.
Sic quum est alternis requies a febre diebus,
Non mœstas æquum ad superos proferre querelas:
Tanquam mensa pari natura bonumque malumque
Pondere miscuerit, nunc mater, et ante noverca.
Istius est ratio jamdudum explosa magistri.
Quid si de medicis promam solatia libris,
Aut bis sex tabulis, et agam sic denique tecum?
Continua abscessit; res est secura pericli;
Hæc habet alternam requiem; quartana minatur
Vicinas hyemes et tristis frigora brumæ.
Sed neque lenta nimis tardæque inimica senectæ

Terreat impigrum juvenem quartana, repente
Diffluet, ac nubes solis tepefacta calore;
Et levis est quartana vetus, neque liberat ægros,
Quominus et promissa obeant vadimonia cives,
Et sua militiæ dent nomina, prætor ad arma
Quum vocat, infestusque propinquat mœnibus hostis.
Multa quidem possum tibi non incognita certe
Et variis deprompta locis exempla referre,
Quæ doceant qua te possis ratione tueri,
Quo solers humana feras incommoda pacto.
Quid si nec mala res est morbus, ut esse videtur,
Et veri specie nos ludit opinio falsa?
Ut si cui medicus porrexit amara fidelis
Pocula, principio avertens oblata recuset
Sumere, post æger, caris persuasus amicis
Quæ sit vis ejus medicaminis, hauriat ultro.
Sic quoque nos, docti morborum ab origine causas
Auctoresque Deos, animo tolerabimus æquo,
Suspensos habeat quamvis tamen exitus anceps.
Quumque sit humani generis pater, et bonus idem,
Suppeditare suis bona par est credere natis,
Et curare Deum, quæ nos curare solemus.
Ipsa nec in terris quidquam natura creavit,
Ex quo non aliquem possis decerpere fructum.
Quamvis tabificos infligat vipera morsus,
Utiliter solet antidotis præsentibus addi.
Multa etiam veniunt interdum commoda nobis
Ex inimici hominis maledictis, aut malefactis:

Corrigimus vitam moresque; audimus ab illo
Flagitia, infidus quæ nos celabat amicus.
Nam quæcumque Deus mittit mortalibus ægris
Seu bona seu mala sunt, sapiens ita collocat apte,
« Ut quadrare putes. Corrumpunt et bona stulti,
« Et mala quæ fuerant faciunt pejora fruendo. »
Ut quum dura nimis stomacho datur esca valenti,
Concoquit ille tamen, tribuitque alimenta per artus:
At cibus infirmis in bilem vertitur atram,
Quamvis ille tener cedatque molaribus ultro.
Sic plerique malo quum corporis ante fuissent
Infirmoque habitu, posita ceu vere senecta
Exsultant angues nitidi; sic febre soluti
Mutata accipiunt tanquam nova corpora forma.
Nec minor utilitas animorum. Maxima, crede,
Pars hominum, tristi nisi morbo vindice, nunquam
Se revocet; cœlique vias post terga relicti
Rursus eat. Quis enim florens et corpore sano
Inter delicias agitat cœlestia mente?
Nemo fere trepidis nisi rebus numina Divum
Magna vocat. « Monitor sapiens in tempore morbus. »
Expertus moneo didici quæ non ita pridem,
Quum multo fluerent ruptæ mihi sanguine venæ,
Ac me dira sitis premeretque intercutis undæ
Et metus, et præsens, obstent nisi fata, periclum.
Quas ego non aras, quæ non delubra Deorum
Tum supplex adii, quibus hoc non denique votis
Damnavi funebre caput! quumque ante pigeret

Actorum, in melius mores mutare parabam,
Expendens mecum, factum hoc bene, at hoc male factum:
Sic facies melius, sic te cœlestibus addes.
O cæcas hominum mentes ignaraque corda!
Scilicet exspectamus ut æthere rursus ab alto
Descendens, nostræ repetat consortia vitæ,
Seque Deus turbis immisceat agnitus illis,
Et sua consilia claro pronuntiet ore.
Non satis illa fuit manifestis prodere signis?
At magnum quamvis possim perferre dolorem,
Si brevis et cito præteriens; sin longior, haurit
Paulatim vires animumque. Sed, o bone, major
Cernitur utilitas in eo qui longius hæret;
Nam brevis ille prius fugit, quam sensibus imis
Acceptus penitus desederit; ut bene multa
Quum simul in terram subitoque effunditur unda,
Non alte penetrat, sed tantum summa rigando
Præterit: at longo distillans tempore, quamvis
Paucior, ima subit sitientis viscera terræ.
Cernis ut ipsa recens a partu femina, tanti
Vix soleat meminisse dies post quinque doloris,
Et thalamum repetat quem paulo abjecerat ante.
Sic quibus imposuit plagam divina potestas,
Si dolor ex illa brevis exstitit, atque recedens
Relliquias ægro nullas in corpore liquit,
Audebunt etiam fœdare prioribus illi
Flagitiis animas, turpique revolvere cœno:
At qui longus erit, duros emolliet artus

Paulatim, et menti pugnantia membra domabit.
Proderit et conferre tuis aliena vicemque
Illorum, simili qui fato et sorte premuntur.
Diversis quot ubique jacent regionibus ægra
Corpora, nullius cura servata ministri,
Nec medicas experta manus? quot millia cogit
Pauperibus miseranda fames excedere tectis,
Et circum vicos atrum male quærere panem?
Tu molli in strato depictis inque tapetis,
Seu calor est, æstum flabris et frigore pellis;
Seu rigor est, multa propulsas veste rigorem,
Et variis ingrata cibis fastidia tollis.
Atque hæc non parcis manibus tibi cuncta benigne
Porrigit Omnipotens, aliis non porrigit æque.
Quo debes tu plura Deo qui contulit uni
Plurima, quum posset tamen isti plura, vel illi.
Nemo Deos unquam fuit ausus poscere tantum,
Quamvis confidens, tibi quantum fata dederunt.
Nunc si febre levi tentant juvenilia membra,
Despondes animum. Nota est patientia Jobi,
Quem neque magnorum fregit jactura bonorum,
Interitusque sui generis, neque dira superbæ
Conjugis indigno convicia dicta marito,
Non immunda lues, grassansque per omnia morbus
Viscera: tantum illam est auditus reddere vocem,
« Nudus in hunc mundum veni puer, exeo nudus:
« Ista Deus nobis dederat, Deus abstulit idem. »
Ut discant homines etiam pendere caduca

Ex illo, neque spes in vanis ponere rebus.
Dic age postremo, quoniam concludere tempus,
Viventis Domini quænam promissa fuere
Discipulis? quibus ille suos dimisit onustos
Pollicitis? fortassis opes rerumque suarum
Securum multos usum promisit in annos?
Anne voluptates æterna pace fruendas?
Horum adeo nil prorsus habebat in ore. Quid ergo?
Morbos et tormenta, famem, durosque labores,
Exsilium miseris, servilem denique mortem.
Ergo notis sic ille suos distinxit amicos,
Ut nigras pecudes quum pastor separat albis.
Quare si pulchri atque beati vivimus inter
Omnes delicias, et nulla molestia, nullæ
Impediant somnos curæ, non possumus isto
Censeri in numero, sperareque certa laborum
Præmia, quæ posita in cœlo sunt lumine cassis.
Morbus nec mala res igitur, nec inutilis; ipsis
Corporibus nonnunquam, animis etiam utilis omni
Tempore; quumque Dei missu mortalibus ægris
Venerit, et quoties, erit æqua mente ferendus.
Non humeris onus ille tuis imponet iniquum,
Aut supra vires, victor seu victus abibis,
Egregiam tanta referes pro laude coronam:
Attamen orandum quoties invadet acerba
Febris, ut ægroto Deus illam corpore demat;
Conandum est etiam atque etiam languentibus, omni
Et cura et studio mens exhilaranda, jocisque

Ac ludis etiam fallendum tempus honestis,
Ut mox ad consueta reverti munia possint.
Ergo per superos, per sanctum regis amorem,
Per quidquid carum est, vel erit tibi, vel fuit unquam,
Excute mœrorem hunc animo, cape gaudia mente
Intermissa diu, et te vitæ redde priori.
Quod si nulla movet propriæ te cura salutis,
Nullus amicorum respectus, amorque tuorum :
At patriæ pietas magna te voce rogantis
Excitet. « Ingrati est patriam contemnere civis. »

AD MARGARITAM VALESIAM,

FRANCISCI REGIS FILIAM.

Ante fores me, diva, tuas videre frequentes
Qui ludunt pueri, nisi quod fortassis agebant
Tunc aliud; tamen erravi tua limina circum
Sæpius, inferremne pedem dubiusve referrem :
Non quia me durus prohiberet limine sacro
Janitor, adspectumve tui quia ferre nequirem
Cœlestis vultus; quid enim vel mitius illo?
Quæ facies hilarive magis perfusa nitore?
Et rediens Italis quondam legatus ab oris
Hanc expertus eram bonitatem mentis in omnes :
Ex quo nota mihi tua primum tempore virtus
Inter, diva, tuos me jusserat esse clientes.
Quæ me res igitur retinebat adire volentem?
Ignavus pudor, et magnis contrarius ausis :
Natura meus ille quidem, verumtamen auctus
Judicio, vitia ut defendere nostra solemus;
Idem conspectu qui me quoque principis arcet,
Præclusitque meas diversa monentibus aures.
Incertum porro videant an acutius illi
Complures, an solus ego; sed me tamen omnes
Sæpius hortantur, perfricta fronte pudorem
Ponere, sollicita nil ambitione ferentes

Utilius, spectare modo præsentia reges :
Nec res præteritas, nec res agitare futuras.
Tu prima nisi luce fores pulsaveris hujus
Quem tibi proponis devota mente colendum,
Cœnanti adstiteris prandentique omnibus horis,
Dum te nox inimica domum discedere cogat,
Pauper eris : vis est, vis est adhibenda beatis
Regibus, eripiendaque multum et sæpe rogando
Munera, nec famæ est aliquid dandumve pudori.
Nonne vides, etenim magnam longo ordine turbam
Describunt, notos etiam mihi nomine quosdam,
Omnes hi permulta, vides, et magna tulerunt
Præmia, non meritis propriis, quæ nulla fuere;
Obsequio tantum, servilibus, officiisque,
Ambitioneque prava et sedulitate procaci.
Ille magistratus petiit quos venderet auro,
Ille sibi templi reditus superisque dicata
Prædia, de sanctis huic prompta pecunia fiscis,
Nec vacuis manibus quisquam discessit ab aula.
Hæc non me valde ratio commovit, ut escam
Utilitatis habens, cujus possessio vilis
Semper visa mihi, semper despecta, nec unquam
Transversum potuit digitum deducere honesto.
Durior adversaria longe, et durior hostis
Ambitio, laudumque animis innata cupido,
Quæ semper lectos hominum et clarissima quæque
Ingenia aggreditur, privatæ nescia vitæ

Ferre modum, gaudensque frequentis luce theatri.
His sese natura tyrannis nostra duobus
Mancipat, et veluti furiis agitata suique
Immemor, audet nobilium prærumpere clausa
Limina, et invitis intro custodibus ire,
Vexare assidue, et miseros occidere reges.
Vidi quum nuper media pranderet in aula
Henricus, premeret multorum turba virorum,
Et gravis inficeret loca spiritus, ille sederet
Angusto medius spatio, fususque per ora
Multus ei sudor manaret; nam fuit æstas,
Et sol ardentis superabat brachia Cancri:
Vidi poscentes a circumstante ministros
Turba, ut perpaulum secederet, atque fenestra
Ut daret opposita spatium spirantibus auris,
Poscebant multis precibus: quis crederet illos
Impetrare tamen nunquam potuisse; tacebat
Frater, nec justi dedit unquam signa doloris.
Sic mendicabat vilem rex maximus ille
Aera, quo miser in triviis mendicus abundat.
Dicite privata quis vestrum talia vita
Ferre velit? Vobis lictores agmine longo
Apparent, coguntque hominum discedere turbam.
Jam vestrum quis non subeuntem excludat amicum
Intempestivis ad se qui venerit horis?
Tu cedo, tune domi exerces tam lene rogando
Imperium in servos, tua sunt tam mollia jussa,

Si conductus idem faciat mercede minister,
Aut lapides aut saxa volent, aut noxia major
Si fuerit, multa dorsum vibice notetur.

Vos alitis vitium hoc reges regumque propinqui,
Parcite non vano dicenti vera poetæ,
Dissimulando alitis vitium hoc, alitisque ferendo,
Dum quos hac illac errare videtis inertes,
Vestrum aut circumstare latus, non protinus aula
Exigitis : quod si ex hominum sermone sciatis
Quanto peccetur vestræ discrimine famæ,
Invidiæ quantum vobis odiique paretis,
Nullus vestra hodie fucus circumvolet aula.
Non ideo tamen auctor sum non vestra colendi
Numina, diis geniti reges regumque propinqui;
Queis omnes omnem merito debemus honorem,
Tantum adsit modus et ratio, et pulcherrima rerum
Gratia, quæ decori factis solet omnibus esse :
Et nos officiis operam sic demus honestis,
Ne defraudetur pars nostri muneris ulla,
Nostram ne culpare moram respublica possit;
Et non ardua frons, non vox summissa decebit,
Et minus invidiæ, minus est habitura pericli.
Ante suos Persæ quoties venere tyrannos
Dejiciunt oculos, nec sursum lumina tollunt :
Inconsulta etiam multis audacia, postquam
Vis adeo refrixit, in ipso concidit actu.

En totius habes, virgo doctissima, nostri

Certam consilii rationem carmine longo,
Quæ tibi si fortasse probetur, gaudeo; sin tu
Dissentis, erimus tam longo tempore tecum,
Dum te pœniteat nostri, regina, molestos
Et tanquam fucos jubeas excedere tectis.

AD JO. BELLAIUM,

CARDINALEM.

Tandem, Bellai, superas transcendimus Alpes,
Hoc mœsti, quod te fugientem apprendere quamvis
Posse videbamur, non unquam est facta potestas.
Verum non aliquis deus aut conjunget in ipsa
Italia, aut etiam, quod spero, redibimus una,
Tollemusque viæ placido sermone laborem :
Quin etiam interdum faciemus carmina, Flaccum,
Aut aliquem ex priscis imitantia vatibus. At tu
Plusne etiam possint Musæ experiare latinæ
In medio Latio et penetralibus ipsius urbis;
An procul Italia, Belgis ubi Matrona Celtas
Dividit, et leni Vincenum flumine saltum
Præteriens, belloque vocatam nomine villam,
Ad fanum, muris et relligione vetustum,
Labitur, et circum sinuosis flexibus errat :
Fanum suppositum colli, quem pulcher Apollo
Insedit Musis comitatus et agmine vatum.
Nec procul hinc, postquam late spatiatus in orbem est,
Cornibus adductis præclaram conficit Isthmum :
Mox abit, occiduique sequens vestigia solis,
Ad lævam condit sese melioribus undis,
Inde subit primam Francorum inglorius urbem.

Si meliora potes, Bellai, scribere Romæ,
Accipiam, propriumque loci mirabor et urbis
Ingenium, sed enim vinci non posse videntur.
Ante quidem vulgo credebant esse negatum
Gallis ut versus facerent, musasque teneri
Alpibus, ut claustris septas ingentibus, intra
Italiam; sed tu perruptis molibus, instar
Herculis, hunc nostræ es genti partitus honorem,
Extremisque novas terrarum in finibus aras
Princeps hospitibus Musis Phœboque dicasti:
Ad quas egregii recitant sua carmina vates,
Non Italis, non Romanis cessura poetis.
Ast ego quem dulci fecunda Bononia lassum
Excepit gremio, si te cognoscere nostra
Forte juvat, veteremque adservas pectore amicum,
Porticibus latis contectus inambulo totos
Sæpe dies, cœloque Jovem contemno ruentem
Fulmina, et Hetruscis collectos montibus imbres.
Nec tamen interea cesso, neque torpeo, verum
Cœpta mihi quondam puero primaque juventa,
Viribus haud æquis, post intermissa resumo.
Leges prudentumque hominum responsa, jacebant
Ut passim confusa prius sineque ordine, certis
Distribuo mandoque locis, divulsaque membra
Compono, longi rem adeo magnique laboris:
Quod ni me retrahunt lites et jurgia, diri
Terribilesque fori clamores, omnibus istud
Perfectum numeris opus annis reddo duobus,

Aut tribus ad summum; nec enim libet otia, quidquid
Temporis et vacui est semper transmittere nugis.
Scribentem levia et morientia carmina, quæ non
Huic nostræ ætati et fusis per tempora canis
Conveniant, quid quæris? In hæc postquam loca veni
Et tondere comam, barbam demittere cœpi,
Pauca loqui, signis et vultu ostendere plura.
Mi videor sapiens, ut tantum pallia desint
Et Venetæ crepidæ : tibi forsan stultus et iis qui
Non homines cultu, sed vero examine pendunt,
Quæ placet amoto nobis sententia risu.

AD CARDIN. LOTHARING.

Lothari magnum jubeo salvere nepotem,
Qui veteres longo post tempore visit amicos,
Ereptus variis pelagi terræque periclis.
O geminos fratres, nostræ duo lumina gentis!
Ille duces inter multos fortissimus omnes,
Sæpe malum nostris aut finibus arcuit hostem,
Congressumve acie campo superavit aperto;
Tu sermone potens, suavis dulcedine linguæ,
Auribus apprensos homines, ut fune retorto
Huc illuc versare potes, seu pace tuorum
Formandi mores, seu gens procul extera nostris
Legibus imperioque rudis parere docenda est.
Talem credibile est primorum ætate parentum
Enituisse aliquem, sparsis sine lege per agros
Qui populis persuasit, ut iisdem vivere vellent
Inclusi tectis, simul iisdem legibus uti.
Nunc tibi quando vacat tua florida visere rura,
Et riguos circum Dampetræ fertilis hortos
Ire, vel aerii montem lustrare Medoni,
Conjunctum villæque nemus, cœloque minantes
Pyramides, excisaque rupibus antra cavatis,
Diis gratam patriis sedem, Romaque profectis,
Et spatia in medio congestæ ingentia terræ,
Æquatosque solo tumulos, et plana locorum,

Unde tibi pulchram longe prospectus in urbem,
Unde Vicennarum saltus regumque sepulcra
Despicis, et pingues, quos Sequana perfluit, agros.
Hæc tua regna tibi concessu regis obire
Quando licet, curis animum laxare memento,
Quæ juveni spargunt albos per tempora canos,
Turpibus et rugis deformant frontis honorem
Ante annos atque ante diem. Cape gaudia ruris
Cum nymphis genioque loci, cum paupere vatum
Musarumque sacro conventu; disce minora
Velle sequi, parvaque humilique remissius in re
Ludere, nec semper cum regibus esse beatis.
Quondam etiam superi cœlo petiere relicto
Congressus hominum, nec vilis tecta coloni
Despexere lutoque domos arundine structas.
Tu quoque fastum animo tantisper, et excute reges
Magnificos, atque hæc nobiscum oblivia pota.

AD PETR. MONTAUREUM,

MAGNI CONSILII REGIS SENATOREM, ELEGANTISSIMUM POETAM ET MATHEMATICUM PRÆSTANTISSIMUM.

Ultima quæ nobis a te longissima venit
Scripta novo quodam pingentis epistola more,
Expressam referens hortique domusque figuram;
Ultima, namque apicem ex illo mihi tempore nullum,
Saltem mandares alio scribente salutem,
Visa mihi studio majoreque condita cura,
Ipsam quum legerem. Sed enim tum quærere causam
Neglexi imprudens; nunc te cessante requiro.
Ergo talis erat tantoque subacta labore,
Quod postrema foret, tibique allatura supremum
Scribendi finem, et nova menti cura subiret.
Ex illo te nempe die divina Mathesis
Cepit, et incurvos circum versatilis orbes
Circinus, ac picto conflati ex ære cylindri.
Quidquid id est, quæcumque fuit tibi causa silendi,
Non impune feres. Nam cur ego te sine vivam,
Vel sive me patiar te vivere? Cur vel utrique
Nostrum non liceat, longis ut quando locorum
Distrahimur spatiis? Concesso hoc munere saltem
Usurpemus amicitiæ sanctissima jura:
Quam violare, nefas quoniam non esse putasti,

Bellum, ni resipis, tibi non leve nuncio bellum.
Musa mihi stimulos et spicula sæva ministra,
Hunc quibus ulciscar, vel longa silentia cogam
Rumpere: nam te utriusque potentem fecit Apollo,
Nec poterit mortale Deos exsurgere contra
Ingenium; sed enim tentare levissima præstat.
Ergo quieturum, stimulos quum senserit acres,
Sperasti, quin dente ferox et calce repugnet?
Non ego, qui vires pridem ingeniumque poetæ
Novi: non maledicta feret, non ille diu se
In nos quin regerat totidem vel plura tenebit.
Sudabit, poscet calamum, tabulasque resumet;
Tum mihi nota manus quanto se pondere libret,
Sæpe audita etiam resonantis fulmina linguæ,
Et vereor: sed enim plagis et vulnere figi
Cum sonitu malo, tacita quam morte perire.
Musa Syracusii sapientis stringere magnum
Aude discipulum, qui postquam transfuga nostris
Præsidiis abiit, formas radiumque secutus,
Pulvereas formas et vanæ insomnia gentis,
Ex hilari, tristis, mutusque repente disertus,
Ex facili comique ferox, et durus amico
Factus, inurbanum vitæ genus atque severum
Delegit. Reliquis odiosum et inutile, soli
Jucundum artifici, neque enim de nomine pugno.
Quis mihi te paucis mutavit, amice, diebus?
Unde furor subito novus hic? tun' Gorgone visa
In lapidem conversus abisti? an tristia Circe

Pocula lethiferis e Ponto miscuit herbis?
Quid retices? aliud potius quidvis agis? Illud
Nimirum est, vestro quod contigit ante magistro,
Qui nimis intentus studiis, non sensit ab hoste
Captam, quam toties frustra servaverat urbem.
Huic tanti casus ignaro miles ademit
Romanus vitam, sua contemni ratus arma,
Indignumque putans victis non esse timori.
Quod si tu nostræ minus audis jurgia Musæ,
At vocem moneoque et verba attendere legum,
Pœna mathematicas quæ sit tractantibus artes,
Quam gravis et quam dura tenes, quam scripta severe.
Huic te subjiciam, quamvis te subtrahis astu
Nominis ambigui; sed magno judice vincam,
Qui nunc judiciis et vestra regnat in urbe.
Nam quis grammaticis locus ad subsellia? non si
Aut pedibus valeas quantum formosus Achilles,
Aut variis homines possis eludere formis,
Et cineres oculis densamque offundere nubem,
Non tamen effugias. « Vis est adamantina legum,
« Prælongæque manus, et inevitabile robur. »
Quare si veterique ac fido credis amico,
Si sapis, istas mitte suo cum pulvere nugas,
Istos lucifugas, elingues linque magistros,
Nulla quibus privata satis vel publica nota
Officia, et populis jus redde, quod ante solebas:
Sic animum quoque reddideris, qui pene recessit
Dum nihil absenti jamdudum scribis amico.

Quod monitis si forte meis parere recusas,
Exspectaque truces plenosque doloris iambos,
Quos mea me primum rabies tentare docebit:
Verum tu monitis præbe melioribus aurem,
Et placidæ paci postponere bella memento.

AD JO. CARD. BELLAIUM.

Quæ mihi Campanis rediens infirmus ab oris
Carmina scripsisti lectica vectus aperta,
Non prius accepi, quam veni sospes ad urbem,
Unde profectus eram bissenis ante diebus:
Digna mihi magno tua carmina visa Marone,
Et non ætatis nostræ, non temporis hujus,
Sed veterum emunctas redolentia scripta lucernas:
Illa tui desiderium non tollere prorsus,
At lenire tamen potuerunt usque legendo.
Tu vero propera, nimis illud namque veremur
Ut nostri memorem te regia non sinat esse
Aula, soporiferumque infundat blanda papaver;
Atque iterum doleant revocata pellice Musæ.
Quare si sapies ceratis auribus istam
Præterages navem, tutoque in littore sistes.
Hoc te commoneo, sapientem stultus amicum.

AD MARGARITAM VALESIAM,

FRANCISCI REGIS FILIAM.

De sacris carminibus M. A. Flaminii.

Est modo quod miserum possis defendere Flaccum,
Qui nunc Socraticis sermonibus imbuit aures,
Virgo, tuas, et vana reliquit somnia vatum.
Nam locus occurret si quis non virgine dignus,
Qui teneras aures, teneros qui lædat ocellos,
Hunc tu præteriens vitabis, qua prius arte
Sirenum cantus varios et littora Circes,
Aut Scyllæ rabiem sapiens vitavit Ulysses.
Ergo Venusinum vatem tractare memento :
Non tamen, ut Tulli postponas aurea scripta,
Quæ nunc in manibus tibi sunt, quibus omne docendo
Exsequitur vitæ officium, monstratque duobus
Propositis, utrum melius potiusve sequendum,
Utilitas quoties pugnare videtur honesto;
Et quid publica res, quid item privata negoti
Postulet ac studii, modus et qui finis honorum,
Quæ patriæ pietas sit debita, quæque parenti.
Hæc alia atque docet priscæ vestigia vitæ :

Quæ velut a doctore manu tibi tradita summo
Ipsa tuæ vertas in commoda plebis et usum.
Nam memini te ex officio quum forte monerem
Nuper, ut e mediis Tullî deprompta medullis
Venisti quædam memor in loca, scilicet alto
Ante impressa animo. Quid enim condiscere prodest,
Ni post efficias longo percepta labore?
Ac mihi præclarum tua quanquam vita videtur
Omnibus exemplum vivendi tradere recte
Matronis et virginibus, licet omnia tecum
Nascens attuleris: fiunt tamen ista vigentis
Semina naturæ, fiunt meliora colendo,
Uberiora magis versandis denique libris.
Quid te quum talem tantisque parentibus ortam
Quum videant homines doctis incumbere chartis,
An non incensi studio atque ardore ferantur
Ad juga Parnassi niveis habitata Camœnis?
Utque etiam solis radiis exstare videmus
Omnia quæ varie crescant dispersa per orbem,
Externaque afflata caput vi tollere cœlo:
Sic mihi non solum quæ nostris plurima terris
Ingenia excellunt, sed quæ disjuncta locorum
Sunt etiam spatiis, alioque sub axe morantur,
Omnia vim sentire tuam, radiisque moveri,
Virgo, tuis, tanquam solis fulgore videntur.
Hæc fuit innumeris scribendi causa poetis;
Hæc quoque Flaminium insigni modo nomine vatem.

Impulit, ut tandem nugis in morte relictis,
Aptaretque lyram, sacrumque ad sidera carmen
Pangeret, ac postrema tibi monumenta dicaret
Hæc sua, regali donum regale puellæ.

AD PETR. CASTELLANUM,

Episcopum Matisconensem, Bibliothecæ Regiæ præfectum, quem Franciscus rex, ob singularem eruditionem et eloquentiæ laudem, inter familiares suos præcipue dilexit. Accurate et oratorie scripta est.

Castellane, decus Musarum et caste sacerdos,
Vittis ac merita frontem redimite corona:
Seu te Castalides nascentem hoc nomine Musæ
Donarunt, sive ipse tibi virtute parasti
Id, fidei commissa tuæ castella tuendo
Fortiter, et Musis longa obsidione solutis;
Quas fera barbaries successu turgida rerum,
Injustaque orbis per vim ditione potita,
Haud procul extremis Europæ finibus, Alpes
Inter, et Oceanum spatiis urgebat iniquis.
Et jam barbaries longe lateque tenebat
Omnia, jam sese Musæ suaque arma parabant
Dedere, præsidio nisi, Castellane, fuisses,
Ausus te innumeris exponere millibus unum;
Pro quo magna tibi concessit magnus Apollo
Præmia, cujus tu auspiciis ea bella gerebas.
Dilectas servare dedit tibi namque sorores,
Teque sacerdotem, defensi numinis ergo,
Instituit, templique adytis præfecit et aræ:

Credita Musæi nec non custodia sacri.
Quin etiam nostris insuetas vocibus ante,
Et Græco tantum, Romanoque ore loquentes
Musas, Francorum docuisti effingere verba
Princeps, antiquis nova tradens nomina rebus.
Musarum antistes sacer, interpresque fidelis,
Cujus mellifluo recitantis pendet ab ore
Totus, et in suavi penitus sermone quiescit,
Quum posita Musas pharetra rexpexit Apollo.
Tu potes illius quovis impellere mentem,
Et mulcere graves blandis sermonibus aures,
Et delere animis, si qua est fortassis oborta
Suspicio, absentis famam quæ lædat amici.
Nam bonus est, sentitque preces, patiturque rogari.
Sæpe diu meditata prius, decretaque fixo
Proposito, pietas illum mutare coegit
In patriam, atque inopis supplex oratio vulgi.
« Nimirum hoc illud factum sapientis, in horas,
« Si toties res ipsa ferat, nova sumere semper
« Consilia, et nunquam certis addicere mentem. »
Offensusne mea leviter, culpave paterna
Continuo ejiciat, tam parvo in crimine pœnam
Æternam statuens? Quam multo lenius illud:
Experiar si quid melius natura, vel ætas
Ipsa feret; qui nunc malus est, erit utilis olim
Forsitan, et frugi fiet patre natus inerti.
« Sæpe malis soboles generosa parentibus orta est;
« Sæpe salus patriæ venit de civibus illis,

« Infamis quorum fuerat turpisque juventus,
« Quique suam vario macularunt crimine vitam.
« Nam neque vertissent Carthaginis alta superbæ
« Mœnia Romani, nec vos staretis, Athenæ,
« Persarum bello, si forsan honoribus essent
« Summoti, per quos venere hæc commoda, cives,
« Prima quibus paulo fuerat lascivior ætas. »

Hæc seges est ingens, exemplis hunc ego possim
Innumeris cumulare locum; magis ille videtur
Lubricus, offensone salutem patria civi
Committet sapienter, an ejus credere natis
Debeat, an patrium ulturos sperare dolorem?
Hæc si persequimur studiose sensibus imis,
Et nunc cuncta sibi ante oculos, nunc singula ponet
Vir bonus, extemplo facile utrum præferat utri
Viderit, et quid ei respublica credere possit
Ob meritum patris, cujus suspecta fides est.
« Vincit amor patriæ generoso in corde paternum:
« Nec sua cuique domus jucundior, aut magis ulli
« Grata bono, quam communis vel publica res est;
« Quam laus insequitur, et munus adorea Divum,
« Mortales animos ad certa pericula cogens
« Ire gradu celeri, nec tristem horrescere mortem.»

Nemo magis Cyro superatum offenderat hostem,
Quem gaza atque opibus spoliavit, denique regno:
Vitam erepturus, nisi sors et fata vetarent.
Hunc tamen et Cyrus, Cyri successor et hæres
Perpetuum comitem bellorum et pacis habebant,

Consultoque prius fecerunt omnia Crœso.
An memorem pulsum crudeliter urbe Camillum?
Cui tamen absenti paucis post Roma diebus
Imperium facesque dedit: non ille superbo
Rejecit vultu patriam, non segnius arma
Tractavit, non frigidior fuit impetus illi,
Quamvis alte impressum animo fixumque sederet
Judicium populi, magnæque infamia mulctæ.
Quot Romæ clari, quot Græca per oppida cives
Exsilio vertere solum, quibus inde reversis
Consensu populi delata potentia crevit?
Qua non immodice, neque pravis actibus usi,
Servarunt, urbesque suas fecere beatas.

Quod si sæpe bono patriæ fuit, ardua rerum
Civibus et summam imperii committere læsis,
Quid dubites ipsis læsorum fidere natis,
Sæpe quibus patria est ipso mage cara parente,
Et quos sæpe patrum non valde injuria tangit?
Lethales inimicitias odiumque sepulchro
Jusserat inscribi, atque ingratæ nomina Romæ
Scipio, cui devicta novum dedit Africa nomen:
Filius huic nulli cessit pietate, nec armis,
Et patriæ fines Libyæ protendit in oras,
Æmulaque evertit felicis mœnia Romæ.
Antigoni merito commendat Græcia factum,
Qui, quum divideret popularibus æquus honores,
Propria se dixit, non fortia facta parentum
Respicere, et macula frontem qua quisque notatus

Esset, non turpes alieno in corpore nævos.
« Non etenim, veluti vitia ut quandoque parentum
« Corporis in natis ipsorum expressa videmus,
« Sic animos animis similes natura figurat,
« Quorum tota Deo est, tota est cœlestis origo.
« Multa boni mores, studium quod quisque secutus,
« Multa dies etiam in nobis et tempora mutant,
« Multaque judicio in contraria vertimus ipsi.
« Sic reges hodie quibus est data summa potestas,
« Communis deceat personam aptare parentis,
« Et patriæ genitos, non patri, ducere cives. »
Hæc adeo sum longa tibi præfatus, amice,
Argumentorum jaciens quasi semina quædam,
Quæ tu vel facies meliora, vel his alia addes
Græcorum deprompta libris, deprompta Latinis,
Ut referas olim vacuas ad principis aures,
Quum Musis operam solus dabit, aut ubi curis
Sepositis medios inter discumbet amicos.
Ecce tibi sequitur minor illa quæstio, certis
Personis et temporibus finita locisque :
Huc adhibe totumque Helicona novemque sorores,
Quanquam o tu satis unus eris mihi, dummodo cœptam
Possis extrema causam concludere fini!
Hujus sit tua laus potius, tua gloria facti:
Vestra mihi curæ fuerit bene facta tueri,
Et non ingratis aliquando prodere chartis.
Mi pater, ut reliquas taceam, quibus ille valebat,
Virtutes animi, constans in amore, tenacis

Propositique fuit, certus quæcumque tuenda
Cepisset, prompto capitis retinere periclo.
Hunc morem puer instituit, servavit adulta
Extremaque ætate, rei contemptor opumque,
Pauper, et utilibus præponens semper honesta:
Quum subito oppressit casus miserabilis illum
Et magnæ fortuna domus; ut sæpe ruina
Unius affligi multas labique videmus;
Hic non judicio, sed quodam errore, secutus
Invisam superis causam, minimeque placentem,
Tristis ut eventus docuit postremaque rerum,
Erravit, fateor, aliquantum temporis amens.
Nec tamen aut patriam contra stetit, aut tulit arma:
Verum operas tantum privataque præstitit hosti
Officia imprudens, annum non amplius unum,
Triginta totos quum jam servisset amico:
Quem simul audivit crudeli morte peremptum,
Illas continuo festinus linquere partes
Cogitat, et reducem patria se sistere terra.
Jam neque promissis, neque conditionibus ullis
Uti sustinuit, quum præmia poneret illi
Magna, domique locum Germanus Cæsar honestum.
Hæc nihili pendens, Acromontemque secutus,
Is tum forte fuit regis legatus in urbe,
Antiquum patriam visendi explevit amorem.
Ex illo fuerit vir qualis tempore multis
Testibus et fidei plenis ostendere possim:
Utque etiam regis legatum, non ita pridem

Ad Lotharingos de pacis fœdere missum,
Consilio, quæ tum fuit illi copia præsens,
Juverit, atque opibus, quamvis dolor impius ægro
Articulosque pedum nodosaque membra teneret.
Vana fides absit dictis et opinio læva,
Quæ me nec pietas, nec amor confingere suasit.
Nemo fidem verbis melius factisque probavit,
Nullius vel grata magis, vel amica voluntas
Enituit, sibi quum a superis oblata putaret
Tempora; queis studium atque animos ostendere regi
Ante suo posset, veterisque abstergere facti,
Si qua impressa diu vestigia forte manerent,
Quam vetulum corpus moribundaque viscera matri
Redderet antiquæ: sed fatis non ita visum,
Irritaque in tenues abierunt omina ventos.
Hic ubi Lingonico descendens Mosa Vosego,
Saltibus Argoniæ Campanam dividit oram;
Parte alia Rhenus limes tutissimus olim,
Dum res Romanæ stabant et regna Quiritum,
Nunc haud difficile Germanis pervius armis;
Lothari medios flavum genus incolit agros:
Hic finem errorum posuerunt fata parenti,
Erepto innumeris terraque marique periclis.
Sed non invidiæ potuit vitare latentes
Insidias, quæ me miserum prorsus male perdunt.
Multa scio rumore prius jactata, deindeque
Auribus inculcata boni mendacia regis,
Quæ finxere homines, odia aut privata sequentes,

Aut dicendi etiam male consuetudine prava,
Falsaque pro veris et suspiciosa serendo.
Sed ratio vani rumoris idonea vindex
Commentum falso et male firma diluit hærens
Crimen aquâ: patriam genitor quod semper amavit,
Me quod amat nimium, quod se plus diligit ipso,
Et magnum cupit imprimis, cupit esse beatum,
Veraque nancisci virtutis præmia, quæ res
Omnis in arbitrio est regisque a munere pendet.
Cui potius velit ille suos prodesse labores?
Quo tot et assiduæ torquentes intima curæ?
Quo maria adversis toties superata procellis,
Sæpius insoensi vario discrimine montes?
« Crede mihi, non ista sibi tam tristia sumant,
« Nec sibi tam certis redimant incerta periclis:
« Contenti potius modico requiescere malint,
« Atque domi nigrum tuto consumere panem;
« Naturalis amor stimulet nisi corda parentum,
« Oblitosque sui natis intendere cogat. »
Sed quid ego patris pergo defendere factum,
Cujus longa dies delevit funditus omnem,
Et venia errori jamdudum præbita, culpam?
Nam si hodie tibi sit, bone rex, integra potestas,
Quæ tua par pietas, quæ par clementia Divis,
Concedas citius tali pro crimine pœnam,
Quam vel ego justis factum defendere causis,
Vanaque peccato prætendere nomina possim.
Magnus eo est habitus Cæsar: te, Quinte Ligari,

Te, Marcelle, aliosque adversæ partis amicos,
Restituit : tu major eris, Francisce, quod esses
Quum rex legitimus, nulli quandoque petenti
Suppliciter veniam, reditum patriamque negasti.
Omnes conjugibusque suis natisque fruuntur,
Et revocata tenent avido patrimonia fisco,
Proque tua ad superos emittunt vota salute.
Adde quod et turmas equitum peditumque cohortes
Nonnulli ducunt; quidam pro limite custos
Invigilat, clausasque tuetur ab hostibus urbes :
Quod mihi judicio magno fecisse videris,
Ut quos nulla tuos injuria fecerit hostes,
Non odium, fidos numerares inter amicos,
Muneribus mentes obstringens et benefactis,
Fortiaque injiciens redivivo vincula amori.
Talibus emicuit paucorum gloria factis.
« Multi namque sciunt alios et vincere possunt :
« Rari adeo seseque domant animosque rebelles,
« Præsertim reges, et quorum est summa potestas. »
Namque ut difficile est, hostem quum tollere possis,
Non tamen ulcisci, sed contra parcere victo :
Sic longe major, vel multo maxima virtus,
Non solum tristem deponere cordibus iram,
Verum etiam, quicum tibi sit vetus usque simultas,
Illum ultro meritis ad te perducere amandum.
Hæc te sublimemque ferent, cœloque locabunt
Altius, et memorem ventura in secula famam
Longius extendent quam magnis de tribus orbis

Partibus egisses pulchros, Francisce, triumphos;
Quam si mille virum fudisses millia victor,
Mille suis captas numeres cum civibus urbes:
« Et quæ nec tua sunt, nec tu tibi dicere possis
« Propria, sed quorum fortunæ maxima pars est.
« Veram non etenim virtutem hæc signa sequuntur,
« Quæ persæpe dolis et viribus optima cessit,
« Servivitque domi, victoris veniit ære. »

Me quibus adnumerem? Patriam non ipse reliqui
Vana sequens, flamma neque sum versatus in illa;
Non oppugnavi patriam, patriæve parentem:
Quem natura locum dederat mihi, semper amavi,
Et natale solum colui haud invitus, in illo
Constituique domum, fortunas et simul omnes.
Conjugio indigenæ proles mihi nata parentis:
Despicio privata, animum communibus addo,
Judicia exercens nonum jam circiter annum.

Quid, dices, pulcherne tibi est iratus Apollo?
Non equidem, nec si minimum sit, vivere parvo
Horæ momento cupiam. Quis Apollinis iras
Sustineat, quum tela manu vibravit et arcum?
Sed mihi conspectum rutili contraria solis
Nox adimit, densæque ferunt caliginis umbræ,
Et mea perpetuo riguerunt frigore culta,
Nec se tollere humo, nec in altum surgere possunt.
Non ego supremas pertingere luminis oras,
Conspicuusque alios inter magnusque videri,
Ipse vel immergi cupio civilibus undis:

Ardua non aveo tractare negotia solus,
Nec mihi cor tumidum cæca ambitione laborat;
Tantum oro, potes id concessu namque Deorum,
Fac videam solis radios, et discute nubes,
Fac solem adspiciam, videat me pulcher Apollo,
Non tanquam ignotis aliquem regionibus ortum,
Aut vitam externo cupientem ducere cœlo,
Sed numeret ponatque suis in civibus unum.
Hoc te, maxime rex, posco: Dii cætera faxint,
Et tua quæ Diis est cœlestibus æqua potestas.

LIBRI PRIMI FINIS.

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBER SECUNDUS.

MICHAELIS

HOSPITALII

EPISTOLARUM

LIBER II.

AD JACOBUM FABRUM,

PRÆSID. INQUIS. IN SENATU PARISIENSI.

Litium execratio.

O diræ lites! o jurgia sæva reorum!
O Furiis Ereboque satæ, mortalia semper
Continuo diræ laniatu corda secantes!
Queis neque deterius potuit, neque tristius ullum
Juppiter iratus terris immittere monstrum.
Quæ lassis requiem membris somnumque negatis;
Omnia quæ pravo naturæ vincula more
Solvitis, et junctas æterno fœdere dextras
Cogitis adversis concurrere cominus hastis;
Quæ firmum nihil, atque ratum nihil esse jubetis;
Quæ regum comites ultroque impellitis ipsos

Nescio qua turpi reges dulcedine captos,
Currere in hoc stadio, nec honesta vincere pugna.
At meliora tamen succedunt ultima primis :
Aut ferrum fulvo fortasse rependitis auro,
Et quum multa rei tulerint incommoda, tandem
Grande lucrum referunt. Quale hoc? lucrentur ut assem,
Tota resignatis fundunt patrimonia fiscis.
Quid, quod multa ferunt servis indigna, suique
Obliti generis nunc vilis ad ostia scribæ
Mane sedent, illumque forum comitantur euntem,
Observant quam longa dies, et nocte reducunt;
Nunc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis,
Lictores solio insignes virgaque superbos
Suspiciunt humiles, aditumque precantur et orant;
Aut mixti media certant irrumpere turba,
Exclusique, nihil præter maledicta, levesque
Adstantum risus, et verbera sæpe reportant.
Tantane venturi spes vos sustentat honoris?
Tantum lætitiæ capitis jam cordibus imis,
Libertas ne sit potior? Tu scilicet ista
Nobilitate ferox, istisque parentibus ortus,
Vilibus officiis summittere libera colla
Pulchrius esse putas, ut ne videare propinquo
Aut alii cessisse tuis de vitibus ullam
Particulam, ne sit quisquam te ditior alter?
Instar equi viridem in prato qui solus ut herbam
Pasceret impigro veritus concurrere cervo,
Fugit ad externas vires, hominemque poposcit

Auxilium, dorsoque equitem frenumque recepit
Ore, quoad totis superatus cederet herbis
Æmulus. At quanti victoria constitit illi!
Victor eques domito renuit descendre dorso,
Nec victoris equi manibus dimisit habenas.
Quid tu? ne fiat res asse tibi minor uno,
Ne plus accipiat, sibi ne plus arroget alter,
Tot superinducis dominos invicte superbos
Elato capiti; tot spurca redemptaque nummis
Mancipia, unius quia mores ferre nequisti,
Visus quod potior tibi pace teruncius alma.
At tibi ne fuerint, quæso, tua commoda tanti,
Neve adeo pulchrum ducas civilibus armis
Vincere, ut excutias animo generosa tuorum
Facta, quibus magno vitæ discrimine partos
Hos quondam titulos, atque hæc insignia genti
Transmisere suæ. Tu degener arma relinques
Digna viro? potiusque styli mordacis acumen
Intendes sociis, et civibus atque propinquis,
Quam stringes gladium patriæ generosus in hostem?
« Si res est jactanda, modo jactetur honesto :
« Aude aliquid, melior quo sit respublica, et unde
« Immortalis honos, æternaque manet in omnes
« Gloria venturos post secula multa nepotes.
« Nobilitas veræ se captam laudis amore
« Prædicat; in promptu laus est, facilisque paratu,
« Si falsa veram scires distinguere laudem.
« Ut vincas modicam sub avaro judice litem,

« Vendis agrum, vendisque paternas improbus ædes;
« Ut patriam tuearis, equisque armisque parandis
« Sordidus exiguum quadrantem insumere nolis?
« Non ita Francorum surrexit gloria cœlo;
« Non inclusa foro, non his exercita pubes
« Artibus Europæ atque Asiæ circumtulit arma.
« Castra forum; stylus ensis erat; secura domi pax;
« Cum patriæ bellum communiter hoste gerebant. »

Verum hæc nec puer edidici, nec tradita patre
Accepi, nec Aristotelis de moribus unquam
Libros, aut divina Platonis dogmata legi.
Me pater admonuit puerum, me semper adultum,
Rem facerem; bona quæ delata parentibus hæres
Cepissem, quacumque via et ratione tuerer:
Quo me defendam potius quam judicis atque
Legum præsidio? quibus illum justius armis
Extrudam laribus patriis fundoque paterno?
Hunc circumveniam, captumque in vincula ducam,
Unde queat non ipse fugax evadere Proteus.

Nec verò nihil iste videtur dicere causæ,
Res et divitiæ cui sunt extrema bonorum.
Quamquam rem melius mature abjecerit, ut ne
Cum rebus pariter meliores perdat et annos.
Istis quid facias, istis qui limina sacra
Musarum, tripodas sacros, et Apollinis arcum
Attigerint, libris videas quos sæpe relictis
Amplecti lites inimicaque jurgia Musis,
Jactari circum omne forum, circum omne tribunal?

Non sic Democritus, bona qui dimittere cuncta
Non dubitavit, ut hoc quasi pondere mente levatus
Liberius studiis incumbere posset honestis.
Ergo vide sacras tua ne sententia leges
Et pariter legum consultos pellat ab urbe,
Turbarum ut cupidos et seditionis amantes.
«Consultos ego legis et ipsam tollere legem
« Amens voce mea jubeam? cui nulla videtur
« Publica res sine lege diu consistere posse,
« Quæ sceleri pœnam, virtuti præmia ponit.
« Utilis illa quidem, multisque referta beate
« Ac bene videndi præceptis; sed quotus illam
« Quisque solet manibus hodie contingere puris?
« Turpia degeneres vilis contagia lucri
« Corrumpunt animos; lucris inhiamus avari. »
Atqui de multis et magnis litibus ampli
Existunt reditus, veniunt uberrima lucra :
Moliri causas igitur conamine toto
Expedit, atque animos incendere litis amore;
Commonstranda forum via quæ rectissima ducit,
Implendi spe certa animi, litesque serendæ,
Multiplicem ut fructum reddat cum fœnore campus.
Si fuerit nostræ lex adversaria causæ,
Si judex custos rigidus legumque minister,
Quærenda est ratio, qua legem eludere possis,
Qua vafri quamvis et acuti judicis aurem
Decipias. Sic prima solent exordia lites
Sumere, sic quoque lis deinceps ex lite resurgit,

Et forti semel una manu jugulata, cadendo
Restituit plures alias, mirabile dictu!
Angulus ille, vides, qui sese projicit extra
Mœnia lata fori, Galeoti pone tabernam,
Vendit ubi fucos unguentaque mollia quidam,
Insubrum aut Ligurum nuper qui venit ab oris,
Ad quem sæpe, velut scopulum, est illisa reorum
Et projecit opes immensas naufraga puppis;
Angulus ille dolis plenus te furta docebit
Omnia, judicibus tenebras offundere cæcis,
Extrahere in menses multos et ducere litem;
Et quæ deterior modo contestata fuisset,
Quo possis pacto meliorem reddere causam.
Hinc spes et scelerata reis audacia crescit;
Hinc animos sumunt, et ferrea, Juppiter, ora
Appellatorum multos metuentia casus.
Talia Romanis nostrisque in legibus esse
Monstra nego : commenta fori sunt ista parandis
Augendisque opibus. « Leges aliena cavere
« Furta, cavere aliis potius quam fallere monstrant;
« Dissidia et lites placida componere pace,
« Et castas servare manus, et parcere sumptu;
« Nullam ex dissidiis alienis cogere prædam,
« Commissos curare greges, et commoda plebis :
« Quæ lites minuunt, concordia sæpius auget. »

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

En toties nova cura subit tibi pectus honestum,
Regia virgo, subit veteris nova cura clientis,
Excipiunt alios aliique subinde labores :
Cura mei non digna tuo, non virginis ortæ
Regibus ingenio, regis non digna sorore.
Et quid enim damni respublica fecerit, aut tu,
Ignotum mihi perpetua si nocte prematur,
Nomen, et hic noster consistat cursus honorum ?
Quanquam non obscura nimis sunt tempora nostræ
Prima juventutis, vitæque aud pœnitet actæ,
Forsitan et veniens fuerit nec inutilis ætas.
Non tamen est nobis tanti decus, aut honor ullus,
Ut gravis usque tibi, vel debeat esse molestus ;
Et pudet in nostra tantum te ponere causa
Temporis et studii, tantum cepisse laborem;
Pergere continuo benefacta recentia primis
Accumulare, novoque tibi me obstringere nexu.
Quin etiam ambitione mala peccare, nimisque
Gnaviter et cupide prensans offendere possim.
« Nec cogi, precibusve adigi vult summa potestas,
« Nec se pulsari patitur : mala nomina tanquam
« Creditor appellet, strictoque reposcat avarus

« Judicio; semper nec largitoribus idem
« Est animus, non mens eadem, non una voluntas.
« Regibus et mos est regumque vetustus amicis,
« In sublime suos nullo discrimine primum
« Tollere, divitiis opibusque explere beatos :
« Inde subit satias quum nil superaddere possunt. »
Sæpe vel indignos tot honoribus, aut male gratos
Provexisse piget, serumque haud tempore sumunt
Consilium, aut mores, quos prima ætate probabant,
Incipiunt odisse senes, et protinus ipsos
Quos habuere duces olim scelerumque ministros,
Ulciscique deinde viros fit ludus, et alto
Exturbare gradu : sequitur gravis ecce ruina,
Horrendumque malis intentat visa pavorem.
Ut taceam peregrina, domo producere possum
Nomina non ignota virum, quos Gallia valde est
Altius evectos prius admirata, jacentes
Non minus afflictosque solo mirata subinde est.
Id vero visum merito cecidisse quibusdam,
Pro quo fortunam nescissent ferre secundam.
Tristis et adspectu miserabilis usque bonorum
Casus erat; tum si qui aut nullo crimine certo
Conciderant, aut causa minus quum nota fuisset.
Nam cui sunt hominum satis explorata Deorum
Consilia? aut quænam superis sit causa premendi
Hujus, et illius tollendi? Nostra vagatur
In tenebris, nec cæca potest mens cernere verum.
Sæpe bonos dictis, aut suspicione maligna

Insontes premimus, culpandos sæpe tuemur.
Sive tamen dignas meriti pro crimine pœnas
Legibus exsolvunt, injusta sive gravantur
Invidia, levitate bonorum sive datoris:
Tam fœdi rerum eventus, tam tristia debent
Torpentes nobis animos exempla movere,
Sollicitos etiamque futuri, et reddere cautos.
Sunt et apiscendis in honoribus atque gerendis,
Sunt quædam præcepta, quibus ratione docemur
Lætari modice partis, modiceque dolere
Amissis, cupido communem poscere curam
Non animo; rursus nec detrectare laborem
Militiæ, aut alium, patriæ si postulat usus.
Imprimis moneo, vires examinet ante
Quisque suas tacitus, ne quem minus aptus et impar
Delatum capiat, neu sponte invadat honorem.
Si valet ingenio, confidit et arte regendi
Utiliter populos, patriæ si fervet amore,
Cur operam præbere suis, cur ferre recuset
Civibus acer opem? quin et bonus offerat ultro,
Si melius rem auctore geri se posse putabit.
Ut si quando atra quum tempestate coorta
Forte regat navem rudis ignarusque magister,
Jactatamque mari scopulis illidere tendat
Nescius, huic tu quum possis occurrere damno
Exspectes, dum te socii comitesque requirant
Auxilium, et dubites clavum extorquere sedenti?
Armatus vel quum succedat mœnibus hostis,

Præfectusque loci fugiat statione relicta,
Non hunc tu retrahas obtorto ad mœnia collo,
Arma vel indigno eripias, tibi strenuus aptes,
Privataque manu patriam tutere salutem?
Ille decus laudemque tulit, qui tempore lectum
Non opportuno, terror quum maximus esset
Persarum belli, tantum civilibus aptum
Prætorem studiis, nullo castrensis at usu
Militiæ, ignavumque ducem submovit honore,
Persuasum multo prius ut decederet auro,
Imperiumque sibi fortissimus ipse recepit,
Quo patriam, et pulchras victor servavit Athenas.
Nec minor illa fuit Thebani gloria civis,
Qui successorem castris exclusit, et ultra
Legitimum tempus vetitos produxit honores:
Exemplo fortasse malo, si prava nepotum
Mens animusque foret; sed tum reverentia legum,
Judiciique metus patriæ concessit amori:
Imposuit bello finem, Danaumque per urbes
Constituit dominas victa Lacedæmone Thebas.
Ergo recusandus labor ullus honosque gerenti
Rem bene, præstantique viro non esse videtur.
Est tamen, est aliquis tibi suffragator honoris
Relligione fideque excellens ante legendus,
Cui velut innixus firmo consurgere trunco
Possis, atque leves omnes contemnere ventos.
Bellum est namque viris, et crescere rebus honestis.
«Ipse vide, quo sis animo, qua mente capessas

« Publica : sæpe bonus petiit qui civis honorem,
« Oblatum cepitve libens, corruptus adepto est.
« Sit via plana licet, facilisque adscensus in altum,
« Difficile in summo pedibus consistere rectis;
« Lubricus et partem locus est proclivis in omnem;
« Caligant in luce oculi, nec ferre nitorem
« Aut solis possunt radios : magis optima quæque
« Ingenia esse solent obnoxia casibus istis.
« Ut paulum se sustineant, post illa videbis
« Alterius cadere impulsu, ferrique deorsum.
« Præterea studium nulli satis, aut sua constat
« Conditio : nunc his animus, nunc ducitur illis.
« Semper et ulterius vani splendoris amore
« Progreditur, semperque novas festinat ad artes :
« Ante senex perfusa videt sua tempora canis,
« Supremumque instare diem, quam lassus eundi
« Tandem fixa loco vestigia ponat in uno,
« Quam secum statuat cuinam sese applicet arti.
« Ut qui Dædalei conclusus carceris intra
« Ancipites flexus indeprensosque viarum,
« Hoc dubius modo carpit iter, modo nescius illud;
« Quumque diu multos errans confecerit orbes,
« Huc sese referet, primum discesserat unde :
« Tanquam aut Callipides, qui crura pedesque movendo
« Assidue, nunquam tamen est procedere visus. »
Talis homo plerumque solet traducere vitam
Irrequietus, inops rerum quibus intus abundat,

Et posita ante oculos conquirens trans mare longe.
Erroris qui forte modum si fecerit usquam,
Atque habitare domi volet ambitione relicta :
At vicinus ei lites et bella movebit,
Et neque longa sinet cum dulcibus otia natis
Carpere. Sic nostra aut aliena peste gravamur.
« Invidiæ flamma est nulla vitabilis arte,
« Nullis consiliis. Tantum illud, ne quid et ante,
« Et post delatos ne quid peccemus honores,
« Poscendum a superis, et nos pro parte virili
« Nos toti debemus in hanc incumbere curam,
« Præcipue nobis animos ne gratia turbet,
« Alteriusve odium, ne verba minæque potentum,
« Neve preces, ne turpis avaro in judice quæstus;
« Quæ mala jam multas verterunt funditus urbes,
« Et vertent alias, nisi quis Deus exigit istos
« Urbe foroque lupos, et pacem reddit ovili.
« Sic facile eventus rerum quoscumque feremus,
« Si pravi nullius erit mens conscia facti:
« Si nostro neque partus erit, neque perditus ullo
« Dulcis honos vitio; si recte gessimus illum. »
Quominus ista mihi dudum promissa, laboro
Ut tandem veniant, et quæ tu debita dicis.
Cætera nec vereor, tua ne levis acta retractes,
Aut nostri pertæsa vetes me longius ire,
Dejiciasve gradu, quo me paulo ante locasti.
Nota mihi tua summa fides, prudentia multis

Nota mihi rebus, nota est constantia morum :
Nemo tuas unquam verbis fallacibus aures
Delator, nemo simulatus cepit amicus.
Libertas urbana tibi jucundior omni
Obsequio; semper facilis venientibus ad te,
Et cômis, non blanda, gravis, non dura fuisti.
Scilicet adjutrix inopum, tu sola bonorum es
Perfugium; tua sancta domus; tibi regia circum
Mensa frequens hominum laudatis cœtibus, omnem,
Quam longa est, cœnam vario sermone trahentum.
In medio regina sedes velut arbitra recte
Dictorum, aut pleni moderatrix una theatri,
Audis sermones, audis mala scripta poetæ
Vel bona quæ recitant; et præmia dividis æqua
Omnibus, aut fratrem nunc maxima bella gerentem
Concilias potiora colentibus otia Musis.
Sic bona communi vobis delata parente,
Sic ambo tenuistis, ut in te pacis amorem
Vulgo omnes, belli stadium mirentur in illo;
Et dubitent hodiene togæ plus laudis, an armis :
Nobilior lauri foliis hederane corona.
Me parvum atque humilem, vix fama et nomine notum,
Judicio surrexe tuo, dignumque tuarum
Esse habitum cura, longo jam tempore, rerum,
Quanti, virgo, putas, quantum mihi laudis ab illo
Accessisse die, quo me, regina, vocasti ?
Nam si principibus placuisse quibuslibet, amplum et

Magnificum est, quid ei, regis quæ filia, regis
Et soror est? Quæ tam reliquis et lumine mentis
Præstat, et ingenii, quam luna minoribus astris?
Hoc magnum satis usque satis, nimiumque videri
Debuit; hoc fretus contemnere cætera possum.

AD ILLUSTRISSIMUM
PRINCIPEM CAROLUM,
CARDINALEM LOTHARING.

Si virtus et sola viris se forma probaret,
Non ego nunc tanto studio tantisque fatigem
Te precibus; sed nullæ unquam sine dote puellæ
Sat placuere viris : duram male docta juventus
Pauperiem refugit, tanquam exitiabile monstrum.
« Interea sensim fragilis dilabitur ætas,
« Et decus eripitur formæ venientibus annis. »
Hi sensus non tantum adeo fecere molestum
Me tibi, verum etiam regi regisque sorori.
Quid faciam ? Coner patrios evertere mores,
Atque indotatam laribus dimittere natam ?
Nemo domum traducat? Agrestis denique factum
Et duri genitoris erit, sine dote puellam
Adservare domi, et primum consumere florem.
Hoc prohibere malum, meque his exsolvere curis
Tu potes. Ipse, inquis, morientum limina serva,
Et si cui belle minus accidet, ocius ad nos
Mitte, vel ipse veni : mea, nec tibi gratia regis
Deerit, equo dum te prævertat nemo fugaci.
Observare jubes lectum morientis et ægri;
Illi etiamque optare malum, mortemque precari.

« Ut peream potius. Nova res insuetaque nobis.
« Quid, centum non esse putas quibus altius hæret
« Ambitio, quibus hæc sola est in pectore cura?
« Centum qui pedibus meliores? Adde, priorem
« Excludit prava quod sæpe novissimus arte,
« Impensaque operaque amissis ille recedit. »
Et fortuna meis semper contraria rebus,
Semper iniqua fuit. Jamque est, jam tertius annus,
In quem magnanimi regis promissa trahuntur.
Ecce foro quidam veniens ocreatus in aulam
Munera fert subito quæ nec speraverat unquam.
Ac mihi tum, qui sæpe alias, pudor obfuit. Ille
Turpibus assuetus lucris, nec turpe putavit
Eripere hanc devotam aliis, ut milvius, offam.
« Difficile est sedare sitim atque explere forensem
« Ingluviem, quam mos, quam nulla modestia, nullus
« Sacrarum retinet legum metus. » Accipe notam
Multis historiam, tibi non fortassis; at audi.
Patrono delata hominis locupletis avaro est
Causa rei mediocris, et horis acta duabus
Accepit finem. Calido valdeque tumenti
Scutatos ter quinque reus porgebat: at ille
Rejicit, haud tanto merces ea digna labore
Vociferans. Mittit famulum post prandia plenam
Qui nummis pateram, mandatàque perferat illi,
Sumat ut ex magno, quantum videatur, acervo.
Laudat patronus mores animosque clientis,
Laudat opus pateræ: namque illam ducta per omnem

Aurea vitis erat, Bacchique jocantis imago.
Exspectas etiam, seponere quid suus illi
Suaserit et quantum pudor : auri quod fuit intus
Signati, pateramque simul capit ille nitentem,
Et vacuis servum manibus discedere jussit.
Illum afferre putas fidum potuisse clienti
Consilium, incœptoque malæ deducere causæ?
Quid si vel judex sedeat, sumptusve regundis
Finibus interpres, communis et arbiter agri?
Hunc jubeat lapides adducere, opinor, et illum :
Deinde sibi solers addicat utrimque relictum.
Has sordes, hæc monstra Erebo nigrante remissa,
Di, prohibete sacris Astreæ virginis aris.
Quo mea paupertas nullis polluta rapinis,
Puras munda manus, casti fidentius audet
Ora sacerdotis vultumque subire benigni
Principis, et dotem natis, alimenta parenti
Poscere : digna bonoque ac forti præmia cive
Accensura animos æternæ laudis amore.

AD FRANC. OLIVARIUM,

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

Vicit, Olivari, tua virtus sæva minacis
Spicula fortunæ, quæ nunc contenta supremo
Dejecisse gradu, teque exspoliasse superbis
Fascibus, haud invita fruentem cernit avitis
Prædiolis, et longa manu pineta serentem.
Prima quidem species magnarum incognita rerum
Luminibus suevit tenebras offundere nostris,
Post ubi rem totam propius spectavimus, esse
Vel non quanta prius, vel non tam bella videtur.
Sic abit ille malus, qui nos deceperat, error:
Te vero quo quisque magis cognoverit intus,
Hoc magis atque magis mirabitur, omnia forti
Invictoque animo quæ sunt humana ferentem;
Nec fractum adversis unquam, rebusve secundis
Elatum; vultu atque animo prope semper eodem.
Illa tacebuntur studiose tempora nobis,
Te rectore quibus florentem vidimus orbem.
At postquam divina suum te rura colonum
Adspiciunt, turbaque hominum cœtuque relicto,
Hæ latebræ dulces atque hi placuere recessus:
Quæ tua vita fuit, quibus et quantisque referta
Deliciis? Non iis quæ sunt in honore per urbem

Perque domos celsas et picta palatia regum;
Sed quibus illa Deum in terris cognata propago
Oblectare animos Saturno rege solebat.
Mane sacer primum petitur locus, inde severis
Et gravibus studiis aliquot defungeris horas,
Protinus et viridi lætus spatiaris in horto,
Aut inter pineta, tuis quæ consita longe
Excurrunt manibus, vel coniferas cyparissos,
Aut sacram Phœbo laurum platanosque revisis
Socraticas, Musisque nemus Phœboque dicatum.
Hæc eadem studia atque iidem repetuntur amores
Cœnato pransoque. Sed et celebratur honestis
Semper mensa frequens, ut agro nimis urbe remoto,
Hospitibus. Nihil est cœna jucundius illa.
Tum qui sermones, quam dulcia verba sequuntur:
Nemo non melior, non doctior inde recedit.
Tale genus præstans et non imitabile vitæ
Dulcis, Olivari, jam multos exigis annos:
Ut qui prætereant muros et limina villæ
Ante tuæ, exclament: O te, Francisce, beatum,
Solus enim solus scis vivere, cætera tanquam
Cæca per obscuram gens noctis inambulat umbram.
Te qui non norant prius, illi tempore sortem
Optavere tuam, quasi suavior esset in aula
Victus apud reges, quam rure domique paternæ,
Cum bene morigeris natis et conjuge casta.
Atque illis istud possit fortasse videri,
Qui tantum servire, genuque inflectere coram

Principibus didicere, quibus tulit improba certos
Ambitio sensus et libertatis amorem.
Tu vero tu liber in aula, liber in urbe
Vixisti semper, nec res fecere secundæ
Majores animos, nec dejecere sinistræ:
Ut vetus assiduis exercita flatibus arbos
Ventorum, manet illa tamen, nec sede movetur.
Sunt alii qui perpetuo latuere, minores
Viribus atque animis, ausi contingere nunquam
Aut commune forum, aut habitatas regibus aulas.
Ast alii vero, magna quum publica laude
Munera gessissent, casu hinc post forte repulsi
Continuo cecidere animis, et vivere ruri
Mortem suppliciumve sibi crudele putarunt.
Paucis vitæ utrumque genus placuisse videmus;
Pauci adeo aut scivere uti, aut voluere, duobus:
Exceptis Cyro Persarum rege, vel illis
Consulibus, curvo quos Roma vocavit aratro
Urbis ad imperium. Sed enim hæc vix detulit ad nos
Fama vetus, tantumque libris sunt nota legendis.
Nos vel apud regem hodie, vel in urbe foroque
Occupat ambitio, vel amor plus semper habendi.
Si revocas retrahisque domum generosus, ab ara
Idem coneris fugitivum avellere servum.

Huic ego dem veniam nullum qui possidet agrum,
Nil habet aut ruri proprium, nec curat habere.
Non invitus enim caret hoc quod nesciit unquam,
Nec res ignotas potuit sprevisse videri.

Quid facias illis, qui villas, Juppiter, altas
Ædificant cœloque ferunt; qui jugera pinguis
Mille soli includunt levibus vivaria cervis;
Quorum non privata putes, sed regia plane
Prædia, tam latis expandunt cornua fundis.
Hæc illi quum tanta frui, quum talia possint,
Nunquam animum latere inducunt abscedere regis.
Tantus amor lucri, levis est tam fumus in aula
Vendibilis, tantoque paratur gratia quæstu
Immensas ad opes. Sed enim quis credere possit
Esse homines, claris etiam majoribus ortos,
Usque adeo viles animi, ut tam pulchra Deorum
Munera, terrarumque ipsius et aeris usum
Illos non pudeat tenui postponere lucro?
Et jactant atavos, jactant præclara suorum
Stemmata diis geniti superis, quum furta, rapinas
Admittant, et quæ pudeat committere servos.
At ne prorsus inurbani videantur, et omnis
Expertes rationis, in ultima tempora vitæ
Hæc provisa sibi veluti solatia dicunt,
Quandocumque domum se tempestatibus acti,
Aut referent ultro pertæsi regis et aulæ.
Fac tamen ista cadant ut sunt prævisa, bonaque
Ad sedes venia liceat migrare paratas:
Sed canos hominum sibi quis promittere possit?
Aut quis in effœto et spoliato viribus olim
Corpore sensus erit, quam languidus et brevis usus?
« Stultum est præsentem quum possis carpere fructum,

« In longam differre diem : mora temporis affert
« Difficiles nodos et dura obstacula sæpe. »

At querimur fructus producere culta minores,
Ipsum incusantes hodie cœlumque solumque
Ingentesque Deos : nostra est sed maxima culpa.
Ut puer inviso non riserit ante parenti,
Ignoto nec ager domino : seges ipsa magistrum
Plus amat, et manibus versari gaudet honestis.
Quam melius fundum colere atque ornare paternum,
Quamvis exiguum fuerit, quam tendere fines
Ulterius semper, fundumque annectere fundo.
Divitias immensus ager nimiasque potentis
Monstrat opes domini : bene cultus at indicat artem
Ingeniumque viri, et majorem fructibus æquat.

Dic agedum, fructumne putas hunc esse bonorum,
Si multum late fecundi et fertilis agri
Possideas? Multos habeas sub clave repostos
Regis avi veteres aut patris imagine nummos?
Non mage quam citharas coemat si nescius artis
Cantandi, clavoque emptas suspendat eburno,
Vel libros habeat si nullum indoctus ad usum :
Tantalus hac dici possit ratione beatus.
Ignorare mihi quæ sit tua cura videris,
Cuique rei bona tot cumules, quia nempe bonorum
Laus omnis soloque voluptas omnis in usu est.

AD CARDINALEM BELLAIUM.

Ergo tibi reditum reditum persæpe roganti
Fraternæ fecere preces, jactataque vulgo
Morbi fama tui, et dubiæ spes parva salutis:
Cujus quanta bonos omnes tum cura teneret
Ostendere hominum plenæ formidine mentes,
Et pavor, ut quisquis venisset nuncius urbe,
Totque data et promissa deorum munera templis;
Ipse etiam rex ipse tuos flevisse labores
Dicitur, et magnum vultu monstrasse dolorem.
Quæ tamen ipsa tibi jamdudum cognita fama
Esse reor: vel qui modo præpes missus in urbem
Nuncius, ad vestras, puto, jam pervenerit aures,
Gaudia magna ferens tibi primum, deinde cohorti,
Quæ longi socia exilii errorumque tuorum
Fida comes, tecum cupit in sua tecta reverti,
Tecum restitui patriis nunc sedibus optat,
Votivamque suo tabulam suspendere Mauro.
At te (quæ retinere solent clarissima sæpe
Ingenia) antiquis loca deformata ruinis,
Semirutæ moles, et tecta minantia casum,
Non urbs, verum urbis modo nomen, et illius umbra
Quæ fuit, imperium quum totius orbis habebat,
Nunc triste exemplum semper mutabilis ævi;

Te ne, inquam, ne, quæso, diutius ista morentur,
Quam quo metiri spatium hoc in tempore possis:
Spectatum satis, ac plus quam fortasse necesse
Est homini rerum prudenti. Ex ungue leonem.
Littora tu Campana jube pictasque valere
Bajas, et calidis currentia flumina rivis:
Tum monumenta hodie villarum incognita nobis
Et sine nominibus, Crassi ditisve Luculli,
Nunc quoque vicinis etiam despecta colonis,
Et quorum magnam potuisti cernere partem.
Quæ tamen, ut nunc sunt, urbis labefactâ beatæ
Quondam, divitias et opes ostendere possunt,
Sed quas te libri melius, quam saxa docebunt.
Atque utinam pernix aliquis tibi Pegasus esset,
Impositum placidis equitem qui molliter armis
Hic in conspectu nostro brevioribus horis
Sisteret, aut humeris consutas Dædalus alas
Aptaret, liquidoque præiret in aere cursum.
At quanquam tua sit mora nobis longa ferendo,
Et desiderium absentis producimus ægre;
Maturare tamen non festinare memento,
Ne te (quod superi avertant) nil tale verentem
Lethifer autumnus funebribus implicet ulnis.
Abstineas etiam moneo nucibusque pyrisque,
Arboribus quæ poma ferunt, et dulcibus uvis.
Nanque repentinæ febres hic corpora vulgo
Corripiunt hominum, fluit inde jacentibus ægris
Turpiter, atque animam cum sanguine dejicit alvus:

Quæ tamen, ut spero, veniens contagia frigus
Auferet, et cœli Borea spirante reducet
Temperiem, clarasque dies, noctesque serenas.
Si nondum vires et pristina robora sentis,
Aut lectica viæ mulis gestata laborem
Succussusque graves, aut navis operta levabit:
Protinus attigeris quam parvi flumina Rheni,
Inde per effusas illo stagnante paludes
Eridanum Venetique sinus maria alta subibis,
Et multis late dominantem gentibus urbem
Europaque Asiaque, et vasti gurgite ponti.
Hic triduum pones, dum lustras omnia circum
Urbis templa, domos, et publica tecta, forumque
Marci, et marmoreas Donati principis ædes,
Artifices liquidi, visu mirabile, vitri;
Necnon sexcentis instructum navibus omnique
Armorum genere et pictis navale carinis,
Centauro imprimis magni vectrice senatus.
Cætera sunt illo quæ formosissima tractu
Oppida, te poterunt non multos usque morari,
Quamvis multa, dies: nisi lenis devia Minci
Stagna libet patriumque solum spectare Maronis,
Arcem et turrigeræ fastigia celsa Cremonæ,
Et deserta viris Pompeiæ mœnia Laudis.
Hæc te digressum Trojani Antenoris urbe
Ad lævam excipient sublimibus oppida muris;
Sed Vicentini colles et nigra placebunt
Vina magis, morusque per omnes plurima campos,

Nobilis antiquo necnon Verona theatro,
Armorumque potens et sævi Brixia ferri,
Quæque aliæ recta occurrunt venientibus urbes.
Hinc Mediolanum, Vercellas, condita Gallis
Oppida præteriens, positum in radicibus ipsis
Taurinum venies : ubi lætus magna videbis
Clarorum monumenta ducum, celebrata colonis
Æque ac militibus defuncti nomina fratris,
Quem mors ante diem properato funere mersit.
Hic aliquot poteris tuto requiescere noctes
Dum soleæ pedibus clavique aptantur equorum.
Verum, ut scis, tibi ludus erit percurrere plana
Italiæ, quantumque jacet latus inter utrumque,
In medio campi circum spatiantibus undis
Quum sint egregiæ dextra lævaque tot urbes,
Flumina tot pulchros subter labentia muros:
Adde lacus mensis obsonia larga ferentes,
Magnorumque onerum patientes æquoris instar,
Hos circum densa vestitas arbore ripas,
Lauroque et myrto, et pomis quæ Media misit.
Quæ vero species agrorum, et quanta voluptas
Adspicere implexas contortis vitibus ulmos
Distantes paribus spatiis atque ordine certo,
Et medias inter segetes : quæ verius hortos
Uniusque hominis pomaria dicere possis.
Tantum seu Pœnina paras, seu Graja redire
Per juga, seu libuit per Coctia, nullus euntem
Impediat casus, cœli vis nulla molestet,

Ne glacies digitos, faciem ne frigus adurat,
Ne ventis adpulsa furentibus obruat ora,
Conspectumque viæ nix tollat equisque virisque:
Ut te post multos reducem tua patria menses
Accipiat lætis oculis et fronte serena;
Accipiat qui nunc patriæ moderatur habenas
Errico, pulsis veniens modo victor ab Anglis.
Interea totum Phœbe lustraverit orbem
Dum regi exponis longo res ordine gestas,
Quique status rerum præsens, qui deinde futurus,
Et quid consilii, quid opis res Itala poscat.
Ne tamen ausculta blandis sermonibus aulæ,
Nec tua lethæo perfundat tempora somno
Ambitio fallax, et honorum cæca cupido;
Sed fuge maturus Sirenum saxa, priusquam
Invidia flagres, quæ regum semper amicos
Virtutemque petit sublimi in sede locatam.
Non obscura sequor, tibi nec modo cognita primum:
Te multis fortuna modis exercuit ante,
Te capitis fecere tui discrimina cautum,
Et toties vario transmissa pericula casu.
Non iter ignotumve pererras littus, eosdem
Ad scopulos hærere, iterumque offendere turpe est.
Sed me stultus amor me longius ire monendo
Impulit immemorem tua sit prudentia quanta:
Tu tamen hanc nimio veniam dabis æquus amori,
Teque domum referes, quo te venisse propinquis
Lætentur pagis, lætentur et urbibus omnes.

Sed neque mortales tangunt ea gaudia solos,
Ipsæ etiam pecudes et bruta carentia sensu,
Ipsa mihi tellus ridereque prata videntur,
Et super aucta suas effundi flumina ripas.
Quas, ubi fama tui reditus vulgata per agros
Circum omnes fuerit, credis mox affore turbas?
Quos et concursus hominum regionibus illis
Undique visendi studio? Se, quisque beatum
Crediderit, tua si conceditur ora tueri,
Si manibus summam dabitur contingere vestem,
Si premere et quæ tu vestigia presseris ante.
Quid quum supplicibus fueris bona verba precatus
Intendens oculos, et sacram ad sidera dextram?
Procumbent omnes velut aras ante Deorum.
Sed propera, si vis extremos cernere ludos,
Quos tibi pro reditu felici rustica pubes
Læta facit. Vidi nihil ipse jocosius unquam.
Namque, ut prætteream scenam, vilemque paratum,
Et longos Erebi dentes inhiantis apertis
Faucibus, et mandentis adhuc spirantia membra,
Quæ possint Fabio risumque movere Catoni,
Mira fuit persona gerentis cornua fronte
Luciferi, picti faciem carbonibus atris,
Volventis longæ sinuosa volumina caudæ.
Qui procul ignivomo quoties emisit ab orco
Horrificum clamorem, et quo nemus omne propinquum
Insonuit, versæque steterunt fluminis undæ,
Omnibus iit subito gelidus per tempora sudor,

Et metus effractis erumpat ut ille catenis,
Continuoque domus Plutonia tota sequatur.
Parte alia posita videas in sede tyrannum
Addi vincla reis et verbera sæva jubentem;
Carnifices nudis quatientes flagra lacertis,
Haud fictos gemitus toto reddente theatro:
Cætera quæ fiunt vel præsens ipse videbis,
Vel referent alii quum veneris. Interea tu
Adde gradum, pleni dum sicco pulvere campi,
Dum facilisque et plana via est, corrupta nec imbri.
Jamque adeo jam tristis hiems abscondere soles
Incipit, et pluviis obnubilat aera ventis:
Sed provisa tibi lignorum copia magna est,
Quam modo Campanis advexit Matrona silvis.
Tu ne ideo mutata feras vestigia retro,
Namque suas habet hic veneres locus omnibus anni
Temporibus, suaque est hiberno gratia cœlo.
Haud facile in terris alia regione locorum
Tot simul invenias et commoda tanta, quot uno
Et quam multa loco tibi sese uberrima fundent.
Hic securus eris, quæ procreat aula malorum,
Vitabis maledicta hominum linguasque nocentes;
Vitabis duplex studium, geminumque laborem,
Mane salutandi, seu reddis lætus amicis,
Seu capis invitus quos detulit alter honores.
Hic aliis quæ multa locis cogare tueri,
Nulla tibi stomachum prorsus conspecta movebunt,
Nil dirum, nil triste tuas referetur ad aures.

Et quoniam silvæque placent tacitique recessus,
Nec tamen humano convictu durus abhorres,
Hic utrumque locus dederit, sic urbe remotus
Ut quoties libeat possis cum civibus una
Esse tuis spatio unius non amplius horæ,
Seu veniunt ad te, seu tu contendis ad illos.
Hic melius sacra nemorum spatiabere in umbra,
Mollibus in pratis, viridisque in margine ripæ;
Hic versus facies Musis et Apolline dignos.
Vives ipse tibi, incipies aut vivere primum
Regibus Assyriis felicior, et bona carpes
Hortorum nemorumque et ruris opima beati:
Qua rex cumque die, quoquo vocet, ire paratus,
Semper ut exspectat qui signum ad prælia miles.
Hic quibus ipse voles, et quando, frueris amicis,
Me simul atque aliis, me plus tamen omnibus uno.

AD CRASSINUM,

DOCTISSIMUM SENATOREM.

Quidquid ubique latet nummorum, quidquid ubique est
Argenti, quidquid gemmarum, quidquid et auri,
Nobis eripiunt crudelis tempora belli :
Materia sic flagitii luxusque remota,
Ponimus inviti quod erat virtutis amore
Ponendum multo prius et ratione magistra.
At quum fortis agros miles populatur, et urbem
Castra movet propius, quæ tum trepidatio matrum?
Lymphatæ cursant circum delubra frequentes,
Atque Deos poscunt irataque numina pacem.
Ipsæ quin etiam tumidæ successibus ante,
Incipiunt reliquis uti cum civibus æquo
Jure potestates, et non contemnere sortem
Plebis, et humanos communes ducere casus,
Et donis placare Deos, et poscere pacem,
Seque etiam magnis humiles obstringere votis.
Sic metus et dubiis incerta pericula rebus
Consternunt animos quantumlibet ante superbos,
Et mortis memores faciunt cultusque Deorum.
Ergo pace fuit nunquam minus utile bellum,
Plusque libidinibus prodest vis illa regendis,
Quam verba et ratio, quam Cincia et Oppia leges.

Ut fracto quem navigio fortuna redegit
Ad peram et baculum, sapere is tum denique cœpit;
Cujus item fauces oppressit copia rerum,
Restrictæ laxant epulæque cibique negati;
Et quæ non aliter curari livida possunt,
Sæpe reciduntur candentibus ulcera lamnis,
Et rapido nimiam segetis depascimus igni
Luxuriem. Quod si meliores reddere nostros
Bella solent animos, et relligionis amantes,
Quid tam funestis ac diris vocibus arma
Prosequimur, nobis quæ sæpe fuere saluti?
Jam nostras quoties aut densa grandine nimbus
Contrivit segetes, dedit aut subversa ruinam
Facta labe domus, demersave puppis in alto est,
Extulimus quoties dilecti funus amici:
Hæc accepta Deis incommoda ferre solemus,
Ac nos supplicia iis meritos graviora fatentes
Subjicimus capita, et grates exsolvimus æqui;
Cur etiam non bella moveri numine Divum,
Cur non bella geri dicas, utque optima nobis
Immitti a superis, quamvis alia esse videntur?
Namque Deis magnæ quum sint mortalia curæ,
Quum nos adspiciant, quum salvos esse laborent,
Et dare quæ nobis sint optima credere par est.
At bona pars hominum cæcis offusa tenebris,
Multa Deos injusta rogat, contraria rebus
Multa suis, studium populi, vel regis, honores,
Divitias, et quæ bona vulgus cætera ducit:

Quæ quum nactus erit, subit ingens turba malorum,
Invidia, et pressis armata calumnia telis.
Tum delator atrox cum falsis testibus illi
Judicium capitis litemque intendit acerbam,
Corruptus judex sedet, ambitiosus, avarus.
Quid faciat? Nisi se gladio laqueove tyrannis
Eripit, et mortem deludit morte priori?
At Deus errorem hunc hominum miseratus ab alto,
Multa forent ipsi quæ perniciosa roganti
Sæpe negat, quædam tribuit nolentibus ægris,
Prima tetra quidem specie, mox læta futura:
Carbones ac quum rutilos flammamque micantem
Poscenti nutrix puero materve negavit,
Aut apii viridis calicem porrexit amarum,
Crudelis nimium videatur et aspera nato,
Non aliis, quin imo si vitiosa petenti
Annuerit, merito crudelem dicere possis.
Nobis et requies et pacis nomen in ore est
Semper, eo sermone Deum contundimus aures,
Scilicet ut plenis secura mente fruamur
Deliciis, ne quisve mali metus otia turbet.
Nunc mala quæ nobis veniunt pacemque sequuntur
Accipe: luxuries, ingens et copia rerum;
Adde voluptatum species, et turpia mille
Dedecora; effuso nuptæ viduæque pudore,
Et quæ clausa domi melius se virgo teneret,
Intempestivis convivia circuit horis;
Ludus iners, molles alieno tempore somni,

Hinc et adulteria, et soboles mentita parenti,
Insitus et veris alienus stirpibus hæres,
Continuo rixæ innumeræ, discordia, lites,
Judicium, testis, delator, vultus avari
Judicis : ejectique bonis sine crimine cives
Cum probro atque ignominia sunt; omnibus istis
Eripiunt te bella malis, nec quæ mala secum
Apportant, æquanda bonis potioribus istis,
Quæ neque tempestas, nec sævus ademerit hostis.
At bellum exitio multis fuit urbibus olim,
Et fuerit. Quid si nec semper inutile nobis
Exitium? et morti succumbere præstat honestæ,
Quam longam et turpem cum probro ducere vitam?

AD FRANC. OLIVARIUM,

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

De causa Merindolii Lutetiæ acta in senatu.

QUID Romana bonus, quid Græca per oppida rhetor
Eloquio potuit, quo non traducere plebis
Nutantes animos, quas non aut vincere causas,
Hæc facile ostendit magnis agitata clientum
Et patronorum clamoribus ardua causa :
Non de re, non de repetundis denique nummis,
Sed de vi potius, de cæde, stuproque pudicis
Matribus oblato, et vinctis sine crimine cæsis.
Nam longam historiam pulchro simul ordine cœpit
ALBRICIUS recitare, viros et morte peremptos
Indigna, raptasque soluto crine puellas,
Et late miseris subjecta incendia vicis;
O qui tum gemitus, o quæ suspiria ab imis
Exaudita fere gradibus, portisque palati!
Omnes exquisita reis et summa precari
Supplicia, indignos qui lucis honore fruantur.
Ipse etiam prætor vultu satis esse probatum
Significans, solio jam jamque exsurgere visus,
Et socios quæ sit sententia poscere velle.
Dicendi finem vix fecerat ille, Robertus
Occupat : indignari omnes quod surgere contra

Audeat; admirari etiam quid dicere possit.
Incipit ille tamen verbis quæ pectora quamvis
Flectere dura queant : sic paucis perficit horis,
Ut modo quos damnare patique extrema jubebant,
Mutatis hodie cupiant dimittere votis.
« Sed leviter mala nos pungunt aliena, simulque
« Objecta tristi specie nascuntur, et ortæ
« Arescunt lacrymæ. » Dubios inquirere cesso
Litis in eventus, obscuraque solvere fata :
Di faciant ne plus valeat facundia vero,
Et præjudiciis ne causa prematur iniquis.
Quem tacita Cæsar damnaverat ante tabella,
Certus proposito nunquam deflectere, judex
Sedit in hunc facile a caris persuasus amicis :
Orabat Cicero, sese insinuare latenter,
Inde omnes versare dolos, mox promere tela,
Et jactare fasces, et scalas addere muro.
Quid quæris? Paulatim hominis deferbuit ira,
Mutavitque animos, mutavit sæpe colorem,
Denique profudit lacrymas, hostique pepercit.
« Tantum Suada potest hominum dea cordibus imis,
« Sed magis illius vires et robora sentit
« Ingenium, teretesque dedit cui Juppiter aures :
« Pictorem ut pictura magis, versusque poetam
« Oblectat, numeri numeros vocesque tenentem.
« Nam cujusque operis quæ sunt vulgaria forsan
« Quisque notat, perfecta vident abstrusaque soli
« Artifices; magnum sic rhetor rhetora cepit. »

Ergo forum mutum esse jubes, elingue, vel infans;
Patroni vitare dolos, et habere disertis
Perpetuo clausas, sirenum ut cantibus, aures,
Et revocas Martis nos ad solennia pagi?
Non ego; sed morem servare, modumque tenere
Præcipio, ne res sermonem et verba requirat,
Neu faciat verbosa viris facundia fucum,
Et lingua melior perruptis legibus æquum
Opprimat, immeritumque reportet ab hoste triumphum.
O si judicio, non casu et sorte legantur
Moribus atque ætate graves, rerumque periti,
Qui leges et jura diu magnoque labore
Cognita describant populis, legumque ministri
Quod cujusque suum est tribuant, nec amore nec ira
Impulsi, nec spe nummos de lite ferendi,
Næ frustra conentur eis dare verba patroni.
Sed privata bonas corrumpunt commoda mentes,
Divitias Crœsi paucis præcurrimus annis,
Ne mors nos intercipiat, ne vela retrorsum
Ventus agat veriti; tamen hæc quis deinde fruenda
Accipiet? Tu non, tibi qui præcidis et usum
Et spem, quæ potuit miserum te sola juvare.
Pascimus interea multorum corpora, multos
Hoc est nempe lupos, aut multas pascere vulpes.
At pulchrum valde est et magno principe dignum,
Regales ornare epulas, trahere agmina secum
Maxima servorum. Pulchrum, si constet honestis
Turba viris: agedum, demptis circumspice paucis,

Qui reliquus te prosequitur comitatus euntem;
Turpis, iners, indoctus, egens, simulator, avarus.
Quæ quoniam neque sunt obnoxia legibus ullis,
Et neque lictorem metuunt, neque judicis iras,
Crimina, nec suasu possunt verbisque revelli,
Emendare tuum est : si nil tua jussa valebunt,
Ignavos coges alio concedere fucos,
Et niveo contentus eris grege; tres memor olim
Prætori comites non amplius isse Catoni.

DE METI URBE CAPTA.

Ergo militibus tandem Mavortia nostris
Concessit belli veterem Germania laudem.
Vicimus, o cives, et quæ gens vincula nobis
Sæva minabatur, castris exuta relictis,
Aut turpi se prona fugæ dedit, inque sepulta
Corpora per campos sociorum multa reliquit,
Aut captiva suis accepit vincula dextris.
Parva manus junctas animis, quis credere possit?
Totius Europæ simul uno tempore vires
Sustinuit, fastusque superbos gentis Iberæ
Contudit, et toties assuetum vincere regem;
Qui properans ultum sua probra recentia, pubem
Francorum oppidulo clausam speraverat armis
Posse capi, reliquum mox spe complexus inani
Imperium; sed eo sene jam fortuna relicto
Transiit ad juvenem regem, seu nescia certo
Stare loco, seu laudis amans surgentis in altum.
Ergo nunc placidum regi parere Mosellam
Cernimus, et campos Lothari nomine dictos;
Rhenus et ipse pater victori brachia tendit,
Adscribique libens antiquis finibus optat.
Scilicet hoc fatale solum tibi, Carle, tuoque
Nuper avo, Deus has prohibet contingere terras.
Audax ille, sedens ad parvi mœnia Nanci,

Et decus et vitam certamine perdidit uno.
Tu decus et partos multo sudore triumphos
Unius effudisti amens sub mœnibus urbis;
Forsitan et mediis vitam positurus in agris,
Ni conversa retro vestigia, Carle, tulisses.
Ipsa duos tellus ejusdem stirpis alumnos
Belli ductores, rarum decus, extulit ævi
Quemque sui, patriæ quibus est data cura tuendæ.
Illum Sicaniæ regem, qui robore nostrum
Confidens equitum sociis adjutus et armis,
Burgundæ contrivit opes ac nomina gentis.
Hic vero qui nunc Metensi fortis in agro
Fulminat, Hispanasque phalanges mœnibus egit
Præcipites, turpique fuga dare terga coegit,
Militat auspiciis Erricı regis. Utrique
Debita laus; major sed enim de Cæsare victo.
Ecce autem sublimis equo, spoliisque superbus
Cæsaris, ingreditur juvenis, quem Gallica turma
Nobilium sequitur, paribusque exercitus armis
Et captas aquilas minioque rubentia regi
Signa refert. Manibus date, cives, lilia plenis,
Et lauroque apioque implexas ferte coronas.
Qualis erat nigris rediit quum victor ab Indis
Liber agens longum quacumque incederet agmen;
Qualis et occiso lethali vulnere monstro
Theseus est quondam patrias invectus Athenas;
Qualis mentiti spoliis oneratus Achilli
Priamides Phrygiam se rettulit Hector in urbem:

Talem defensa patria Francique vetustis
Finibus imperii reducem te maximus ultro
Accipit Erricus, respublica tota salutat,
Otiaque et vitam tibi se debere fatetur.
Vos etiam tanti socios comitesque laboris,
Vos quibus appellem post tot pulcherrima facta
Nominibus? quorum virtuti Græcia nullum
Par habet exemplum, Romana potentia nullum.
Non ego contulerim legionum Martia vobis
Agmina, non sacram Thebana gente cohortem,
Et quibus argento fulgentia scuta fuere.
Quis populus posthac, quæ vestros natio vultus
Sustineat? quæ gens belli se comparet arte?
Tu vero quem tot cumulat fortuna triumphis,
Ipsa quot in partes varias Europa secatur,
Cui decus est duplex pulso bis Cæsare partum,
Disce modum servare, alieno disce periclo,
Disce cupidinibus certos præscribere fines,
Et servatoris potius nomenque parentis
Plebis ama, quam vel domini vel regis acerbi.
Nam fuit exitio multis hoc regibus olim
Cæsaribusque; fuit prius illud sæpe saluti.
Nulla magis populis externos prælia reges
Commendant, quam quum monstraverit exitus illos,
Nec rem principio, nec opes quæsisse, nec ulla
Imperia, obducto simulatis artibus hamo:
Tantum sponte sua et veræ virtutis amore
Ductos auxilio voluisse opibusque juvare,

Quos vis servitio pressos aliena teneret.
« Nec generi humano contingere gratius ullum
« Munus libertate potest. » Quo Græcia plausu
Et qua lætitia præconis verba Latini
Excepit, patriis quum vivere legibus omne
Ævum, tanquam missa manu longoque soluta
Servitio jussa est? Tanto clamore volantes
Præter aves subito ad terram cecidisse feruntur.
Atque ea gens affecta recenti munere tanto,
Nonne fuit citius vitam positura jubente
Consule, quam nummum postquam provincia facta est?
Quid Rhodiique aliique? Omnes in fœdere malunt
Vivere, quam dominis stipendia solvere victi.
His tanquam gradibus popularis gratia multos
Fortes sæpe viros evexit ad æthera Divum
Æternasque domos, et cœli in parte locavit.
Thesea quid memorem? quid sacras Herculis aras?
Quique in morte alii numeros auxere Deorum?
Diis merito grates referendæ, qui tibi mentem
Hanc dederint, levia ut malles et mitia semper
Imperia, et sancti regnares more parentis
Sedibus in patriis: aliena, vel extera, non tam
Subjicere optaresque tuis accedere regnis,
Quam prohibere malis, et certa pace tueri.
Pro quo divinos vivo sacravit honores
Parma tibi, diris ereptaque Sena tyrannis
Et modo libertate data quæ nesciit uti,
Poscit opem supplex iterum Germania, poscunt

Italiæ profugis viduatæ civibus urbes;
Unde tuæ nova mox succrescat laurea fronti,
Et dicat soboles quondam ventura nepotum:
Hic res legitimus Francorum, non tulit ægre
Vicinos populos in libertate manere;
Quin etiam oppressos adjuvit milite et armis;
Atque illi tantis merces amplissima semper
Pro meritis est visa, piis in mentibus hærens
Gratia, quæ magni merces est vera laboris.

AD HENRICUM REGEM.

I, FELIX, quo te tua, regum maxime, virtus
Et fortuna vocat, Mosam Scaldemque Sabimque
Inter, ad extremas Batavorum littoris oras,
Ereptos priscis repetitum regibus agros.
I, felix, quo te veterani militis ardor,
Quo tua mens invicta rapit, Belgamque rebellem
Conatum male se justis subducere regnis
Coge recusantem Gallorum antiqua subire
Imperia, et dominos tectis inducere Celtas.
Quem neque bellipotens nuper Germania texit,
Nec qui perpetuo Germanos limite Rhenus
Separat a Gallis; tantum conspecta pavorem
Omnibus Alsatum populis tua signa dedere.
Ille fuga rediens post paulo venit ad urbem,
Claram olim imperiis regnatricemque, Mosellæ.
Unde iterum, amissa media plus parte suorum,
Fugit. At innumeras equitum peditumque cohortes
Secum iratus agens speraverat impete primo
Conscensurum urbis muros, et tecta daturum
Ignibus. O falsas hominum spes absque Deorum
Auxilio! stetit ille suis modo viribus. At tu
Arma capis, ponisque Deis auctoribus arma.
Tu, quoties exire tibi est ad bella necesse,

Mane Deum sanctas supplex procumbis ad aras;
Votaque pro nobis, pro finibus, atque salute
Concipis imperii, summissa deinde precatus
Voce Deos, sic te contingat numine dextrò
Incolumes socios omnemque reducere pubem.
Ergo benigna favent tibi sidera : nullus euntes
Ante duces primumque morari exercitus agmen
Nulla manus potuit; sed apertis oppida portis
Accepere tuos; quæ, si mens recta fuisset
Hostibus, expugnare decem vix mensibus ulli
Mortales valeant. Turbatis pergite Belgis,
Dii, tales animos talemque immittere mentem.
At regina novam quæ nuper struxerat urbem,
Quos super amissa gemitus, quas illa querelas
Sparsa comam et pugnis concusso pectore fundet!
Tu vero, nostri pars maxima roboris, urge
Perculsos, Errice, et jam fugientibus insta.
En fatis promissa tibi victoria : si nec
Stellas sustinuere minoraque lumina, solem
Non, mihi crede, ferent; non hæc lectissima gentis
Robora, quæ fido circumstant agmine regem.
Vinces, dum cœlo tribues non invidus auctor
Vincendi causas; dum quæ geris omnia, magnis
Diis accepta feres, ipsosque fatebere solos
Et pugnare Deos, pugnando et vincere solos;
Teque manus illis tantum præbere ministras.

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

Est illud quod sæpe queri magnosque solemus
Accusare Deos, stultis longissima vitæ
Concedi spatia, et quorum nil vivere prorsus
Intersit; natos ad commoda publica cives
In medio plerumque diem finire supremum
Vitæ curriculo, ferme canescere nunquam:
Ac si hujus pertæsa loci, pertæsa malorum,
Quamprimum hinc alio cupiat concedere virtus,
Aut Deus invideat miseris præstantia terris
Ingenia, et malit præsentibus ipse fruisci.
« Sed quæcumque tamen causa est, non gloria nobis,
« Non aurum, non divitiæ, non celsa potestas,
« Non quæ istis melior sapientia prorogat annos. »
Lex et conditio moriendi est omnibus una.
Atque illi superum gaudent accumbere mensis,
Et desideriumque bonis luctumque relinquunt.
Maxima pars hominum sed enim sua commoda luget.
Nec vero audire est alias in funere voces:
Hem quid agam? Quo me miserum fortuna redegit?
Ad quem confugiam tali privatus amico?
Ille suis opibus me sustentabat egenum,
Illius ambitio mea pennis alta petebat:

Ille meas secum moriens spes abstulit omnes.
Talia commemorant. « At simplex nuda que virtus
« Effertur siccis oculis, et honore sepulchri
« Sola caret; paucis quoniam respublica cordi,
« Et sua posse putant salva atque integra manere
« Eversis adeo communibus. » O mala rerum
Dissidia! o falsis imbutaque pectora nugis!
Tu, minor est si facta vel uno res tua nummo,
Exclamas, totamque reples clamoribus urbem:
Ut subversa cadat respublica funditus omnis
Relligione patrum, nihil ad me pertinet, inquis.
Non sic, non, in morte Cati, sic regia virgo,
Cujus et ingenium vivi dilexerat ante
Et vitam et mores, et dulcia verba loquentis;
Post etiam lacrymis oneravit lumine cassum,
Nec quondam exstinctum flevit magis ulla parentem
Filia, nec plures emisit ad astra querelas.
Quæ tanti gemitus fuerit tantique doloris
Causa vides; et quid virgo speraret ab illo,
Quidve dolens inopis mortem lugeret amici.
Nota recensque viri virtus, quem numina cœli
Non sivere diu vestigia figere terris.
At veri luctus et honesti prodidit illa
Omnibus exemplum, quid amici in morte dolere,
Quas res et sapiens in damnis ponere solas,
Et quibus amissis debet communiter angi.
  Pone tuas, virgo, lacrymas, suspiria tolle.
Non mors atra Catum, non impia Parca peremit:

Vivit adhuc, vivetque æternum, et nubibus ipsis
Altior, in cœlo meliores transigit annos.

Quo, pater, o utinam tua per vestigia cursum
Dirigere, atque iisdem liceat considere tectis!

AD LANCELOTUM CARLUM,

EPISCOPUM RHEGIENSEM.

Ibis, amice, tuo regi comes, ibis inermis
Inter et armatos et spicula sæva ferentes,
Instructus calamo scribendis versibus apto,
Egregius vates perhibetur ut Ennius olim
Scipiadam fortem Romana in castra sequutus.
Nec cantare ducis continget facta minoris,
Cinget honoratam brevior nec laurea frontem.
Sed fuge tu gladios, moneo, fuge cautus Iberi
Militis insidias; nam tristi sæpe ruina
Imbelles fortuna premit contraria belli,
Et Mars carminibus nescit mansuescere vatum;
Sæpe jacet media vates ignotus arena,
Non potis ipse suo cineri superaddere carmen:
Pierides illum nymphæ flevere sub antris,
Et juga Parnassi raucis gemuere querelis.
Nunc omnis belli studiis excita juventus
Arma parat, galeas, et equos, tentoria, currus:
At tibi ne desit librorum magna bonorum
Copia, neve domi, dulcis solatia vitæ,
Mæoniden, Flaccum, doctumve relinque Maronem;
Magna tibi veniet bello seu pace voluptas,

Magnum, crede mihi, capies solamen ab illis.
Rex Macedo nova quotidie quum bella moveret,
Illecto nunquam somnum repetebat Homero;
Et Brutus Polybi secura mente legebat
Historiam, certus discriminis usque futuri;
Et Cato, Romanis quum jam diffideret armis,
Ad divina tamen confugit scripta Platonis,
Quæ relegens casus quum se firmasset in omnes,
Egregia præsens vitavit morte periclum.
Jam decus hoc nobis qui regni in sede reliquit,
Nobilium pueros virtutem artesque doceri
Instituit, junctis vis esset ut insita major
Consiliis. Aliena movent exempla, legendo
Quæ quisque in patria vivens, quæ gesserit extra,
Quosque pares laudum meritis accepit honores.
Multa quoque et veterum belli præcepta gerendi
Utiliter sapiens ad nostros transferet usus.
Nonne vides quanto meliores protulit ætas
Nostra viros, ex quo mediis sapientia castris
Cœpta coli, studiumque librorum miscuit armis
Miles, ut insidias astutus vertat in hostem,
Ut, quoties opus est, in aperta pericula currat?
Sunt tamen et qui non dubitent contendere vulgo
Doctrina molles animos et corpora reddi;
Indoctos, quibus ingenium est agreste ferumque,
Acrius irasci, et tractare ferocius arma.
Ut quem lactantis deprensum forte leænæ

Venator catulum docuit jam tempore longo
Imperio parere, manumque subire magistri,
Non possis æquare animis et viribus illi,
Quem mater pavit furtis et cæde ferarum
Montibus in Libycis. Sed enim mens optima longe
Pars hominis, qua fretus, inermi corpore quum sit
Invalidoque, tamen late dominatur, et unus
Cuncta regit toto quæ sunt animantia mundo,
Et viget ingenium per se sine viribus: expers
Consilii vis mole sua ruit, et male perdit
Incautos, ut aper recto in venabula cursu
Fertur, et objectum capit intra viscera ferrum,
Lævus quod poterat nullo vitare labore.
Adde quod adversis animus, nec frangitur ullis
Casibus, et quamvis superato corpore, quamvis
Obstricto, tamen invictus liberque manebit.
Idcirco quoties ex una parte fuere
Vires, consilium ex alia, plerumque revicta est
Pars quæ fulta suo fidebat robore tantum.
Ast ea juncta duo quo non pervadere possunt?
Ut navis bene firma bono ducente magistro
Spernit et Ionios fluctus, et Iapyga ventum;
Amisso rectore diu jactata per undas
Tandem illisa vadis scopulove impacta fatiscit.
Ergo dux neque fortis erit, neque miles honoris
Veri sat cupidus, cui non sit nota vetustas?
Et quibus in cœlum meritis adscendere magnus

Alcides potuit? Quæ vis ea tanta, quid artis
Consiliive fuit, victrix ut Græcia parva
Exiguaque manu totum pervaderet orbem?
Quid tantum Græcus, quid tantum Barbarus hostis
Fulgentes aquilas Romana tremisceret arma?
Quod si præsidiis sine talibus, absque magistro,
Hanc alicui mentem dederit natura vel usus;
Sponte sua prudens loca possit idonea castris
Deligere, et structas acies producere vallo,
Expugnare urbes, patriæ defendere muros,
Omne ducis demum generosi munus obire,
Eximium hunc par est et amicum credere Divis.
Pauci adeo potuere. Sed iidem fortius illi
Bella gerant, pulchras junxissent Palladis artes.
Iratum viden' ut faciat Martemque furentem
Mæonides, contra sedata mente Minervam?
Ambos præstantes animis : verum tamen illum
Expertem rationis, euntem more ferarum
Ad pugnam; huic tristes sapientia temperat iras.
Hac nostram vates expressit imagine vitam.
Doctus ab indocto tantum differre putatur,
Quantum distat homo brutis, spirantia quantum
Stipitibus duris et marmore. Dic age, formam
Tu Niobes malis, an quam mutata figuram
Accepit lapidis? Malis immunda luto sus
Versari, ut quondam sociis evenit Ulyssi,
An proprium retinere decus formamque virilem?

Credo illud Gryllo aut Epicuro posse probari,
Non tibi, qui vafri sensus imitaris Ulyssi;
Non mihi, Palladia qui tam delector oliva,
Ut jubeam quercus apioque valere coronas.

AD SALMONIUM MACRINUM.

Pauperies semper miseros inimica poetas
Insequitur, nec scripta fere ullis ulla leguntur
Carmina divitibus. Nam mollis inersque voluptas
Cui non est potior scribendi visa labore?
Hinc quoque ludibrium et contemptus nascitur artis;
Nec tamen interea sua pauper carmina vates
Vendere, nec blandus circum strepere ostia cessat
Nobilium, et prohibere suis a faucibus atram
Obscœnamque famem. Quid enim quid speret ab illis
Amplius? O meritis impar sed gratia tantis!
O nimium vili munus mercede repensum!
Idcirco nostra sunt pauci ætate poetæ.
Nam rerum despecta velit quis discere magno
Cum sumptu studioque, vel in re ponere parva
Et tenui tantum curarum, nullus ut inde
Fructus et utilitas capiatur fine supremo?
Quot vati periere dies? Quot tempora et horæ
Dum rudis excolitur magno conamine versus?
Posthabuit levibus privata negotia ludis,
Publica posthabuit; pretiosi ut deinde repertor
Thesauri quondam, properat dispergere nugas.
At quotus in populo recitanti præbuit aurem?
Tam malus est judex alieni quisque laboris,

Seu mala mens rectum, seu livor et impedit ira
Judicium, seu tota magis res esse videtur
Futilis, experiente viro nec digna vel acri.
Ergo stultitiæ non est mediocris, in arte
Difficili magnique operis consumere primum
Ætatis florem melioraque tempora vitæ,
Ut labor exhaustus nulla mercede levetur
Posteriore, senemque premant incommoda vatem,
Extrema quæ sentit iners ætate senectus.
Atque illud memini puero mihi dicere patrem
Sæpius, et nimia revocare cupidine versus
Scribendi : simul innumeros monstrare poetas
Abjectos inopesque, sua nullius in urbe
Nominis. Ergo umbra nemorum musisque valere
Jussis, ad sacras compendia maxima leges
Convertor lucemque fori. Plus hinc quoque laudis
Quam lucri tria continuo per lustra relatum;
Vel quia turpe foro quæsitas esse putavi
Divitias, positamque ab avaro judice mensam;
Vel quia naturæ mala frustra pellere tentes,
Nec possit nascens ita se mutare poeta,
Ut non perpetuo miserum comitetur egestas.

AD MARILLIACUM,

ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM, ET REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARIUM.

Certe ut difficile est duris assuescere rebus,
Sic quoque difficile est assueta relinquere, quamvis
Tristia principio, quamvis sint dura ferendo,
Emollit quæ longa dies, et mitigat usus.
Ne desint exempla, vides ut regia fervet
Nobilium gregibus, locupletumque æris et auri.
Omnes hi regem assidue vel regis amicos
Et quum bruma gelu riget, et quum Sirius ardet,
Sive dies aperit, seu nox tegit horrida campos,
Per maria et terras, montesque et plana sequuntur.
Excipit agrestis domus illos paupere tecto,
Quæ fuerat prius immundis habitatio porcis,
Lanigero stabulum pecori, stabulumque juvencis.
Sternitur omne solum stipulis, ibi corpora fessi
Deponunt; aut, quum melior fortuna, sub uno
Sæpe decem videas aut plura cubilia tecto.
Jam quæ sollicitat surgentem cura priusquam
Luceat, ut bene mane potentis limen amici
Ventitet, ante aliosque ferat referatque salutem?
Inde novæ rodunt intus præcordia curæ,
Latrantisque malum stomachi; nec prandia certa,

Infelix cibus, et dubiæ spes anxia cœnæ.
Omnes hi laxe possint habitare, domi si
Esse velint, propria possint discumbere mensa,
Stipati famulis servorumque agmine longo,
Ad multumque diem producta stertere nocte.
At malà sustineant quum plurima, si tamen aulæ
Ingressu prohibes, longeque facessere cogis,
Exsilium ducant patrios remeare penates.
Usque adeo magnum est paulatim assuescere rebus.
Forsitan iis constet ratio certæque manendi
Causæ, splendor, honos, regum quoque gratia, nobis
Utilis, et nostris, quum postulat usus, amicis:
Utilis in commune, vacat si cultus avara
Ambitione, vacat si nugis et sine fuco est,
Et regum monitis veracibus instruit aures.
Nunc sequere, inque forum mecum descende, videbis
Jucundum nil, suave nihil, nil denique gratum,
Nil possis quo perpetuos lenire labores.
Sæpe tibi glebæ de cespite nascitur ingens
Lis cum vicino, cum affinibus atque propinquis,
Aut alia de re minima. Quid deinde sequetur?
Deseris infelix patriam, cum conjuge dulces
Deseris infelix natos; adeundus in urbem
Prætor. Ibi tristis vultus cauponis avari,
Triste supercilium domini legesque ferendæ.
Inde tibi circum vicos, atque ostia circum
Cursandum, nomen cujusque domusque notanda.
Cognitor hisce locis habitat, curator in illis,

Judicibus centum regio non una domusque
Omnibus incolitur, variis e partibus urbis
Conveniunt, non una forum via ducit. Ad illum
Ista dum properas, alia se proripit ille.
Omnibus haud certe facile est occurrere eodem
Tempore. Quod nisi tarda foro vestigia profers,
Et longe præcedis, inanis cura laborque
Sit tuus, in tanta juvenumque senumque caterva
Quæ summos vesana gradus insedit et imos,
Vestibulum, atque omnem, quam longa est, occupat aulam.
Quid, quum instas alii? vel quum adversarius urget?
Qui labor et sudor, quæ sollicitudo parandis
Omnibus ad pugnam dubia de lite futuram?
Quid quum præco reos citat, aut quum sedibus omnes
Surrexere suis, et facto fine loquendi
Contulerint capita? o qui tum, Juppiter, æstus,
Qui timor est animis, trepidatio quanta reorum!
Quum vero prætor pronuntiat, en tibi fulmen!
Condit se media in turba miser usque pudore
Et damno affectus, malefidaque septa reliquit.
Vincere sed pulchrum est; siquidem victoria finem
Adferat ærumnis. Quid enim si vincis, eritque
Cum vetulo nebulone tibi res? Continuo lis
Excipiet litem nova, deteriorque priore.
Provocat, appellat, prætoris cognitionem
Postulat, arguitur vel denique judicis error.
Commutat faciem, vertit se in mille figuras,
Frustrandoque diu victorem eludit inanem.

Nam male divitiis infirma repugnat egestas,
Et veteratorum technis inscitia juris.
Accedit curis animi jactura bonorum,
Innumeri medio pascendi tempore corvi;
Victus cum victore simul spoliatus uterque
Tota Palatinis cedunt patrimonia fiscis.
Hic finis lites et amantis jurgia, nudus
Exeat ut plena quæ venerat ante crumena.
Ergo qui fieri dicemus, ut attigit urbem
Qui semel, inque foro lites intendit acerbas,
Non magis inde abigi quam musca a dulcibus uvis
Possit, vel tepidæ canis a nidore culinæ?
Nemo suum jactat, nisi spe meliore tenetur,
Et majore putat pensare incommoda lucro.
Hæc ratio merces oriente in sole petendi,
Trans maria et pontum, magno discrimine vitæ;
Hæc quoque militibus nostris, quos sola cupido
Majoris prædæ, non gloria ducit in hostem.
Hi possint aliquid forsan sperare priusquam
Decernat prætor; post desperatio sola
Restitit. At vero, dictu mirabile! cæcis
Mentibus irrepit minime sperata voluptas.
Vidi ego permultas et bello et pace coronas
Ante quidem meritum, sic primo absistere cursu
Oblitum tanti decoris, quasi natus in illis
Sordibus, et semper sub regibus ante fuisset
Marmoreas cernis quos supra stare columnas;
Atque alii fractis media ad subsellia rebus

Dant aliis operas, alienaque munera curant.
Ergo est nescio quid tectum penitusque retrusum
Omnibus in studiis, quod nos alit atque retentat.
In summa studium in primis tibi delige et artem,
Quamque viam insistas toto post tempore vitæ,
Herculis exemplo quondam meliora sequuti;
Nam retro post ferre pedem conabere frustra,
Et consueta diu non æqua mente relinques.

AD ILLUSTRISSIMUM
PRINCIPEM CAROLUM,
CARDINALEM LOTHARINGUM.

Quam facile in multis antiqui norat Homeri
Carmen Aristarchus, missum simul ore fuisset,
Tam cito cognosces, ac nullo pene labore
Cujus et hoc sit vatis opus: nempe illius omnes
Qui veteres unus scribendi laude poetas
Æquavit, dubiamque facit tibi, Mantua, palmam.
Adspice, quam se tollit humo, quamque arduus altum
Fert cœlo caput, et clara inter sidera condit:
Quos, ubi sæva canit magnorum prælia regum,
Dat sonitus, quæ verba ruit, vel fulminis instar,
Vel torrentis aquæ; quantas e divite vena
Fundit opes; quam mox fertur sedatus et ore
Composito memorat jucundæ tempora pacis,
Et quibus auxiliis, quo sit respublica more
Gesta domi, laudemque togæ fulgentibus armis
Comparat, et pulchris linguæ mel suave triumphis.
Jamque tui dotes animi quam sedulus omnes
Exsequitur, quæque hoc bissenos rege per annos
Gesseris, incipiens a primo flore juventæ:
Ut nunc implicitum bellis, quæ maxima nostrum
Circumstant regem, nec dum satis unde tuentem

Solvere militibus stipendia possit avaris,
Expedias; lingua varios et moribus, absque
Seditione regas eadem intra castra maniplos.
Sic velut in tabula non, Carole, pictus Apellis
Parrhasiive manu es, sed nobilis arte poetæ,
Et calamo vatum nulli cedente priorum:
Ut quoties hærebis imagine fixus in illa,
Non solum oblectere bonis tibi munere Divum
Concessis, sed durus et asper censor, in horas
Sis memor, inque dies, a te (non credulus) ipso
Tanquam depositæ rationem poscere summæ;
Ne qua tibi virtus pulchro decedat acervo,
Ne qua suum perdat vitiis infecta decorem,
Ne vel mentitum hunc, quum scriberet, esse poetam,
Vel dicant homines post te pejora secutum.
Atque his carminibus prope tanquam pignore certo,
Obstrictam regique fidem patriæque memento
Esse tuam: ut laudum posthac quæcumque tuarum
Abfuerit, scriptis hujus celebrata, requirat
Continuo populus; te rex et regius omnis
Appellet tanquam ex tabulis pactoque senatus.
Hæc erit utilitas, præclarum hunc, Carole, fructum
Versibus his capies, et multum et sæpe terendis:
Ludicra ne posthac et inania carmina vatum
Esse putet quisquam, et tantum palpare legenti.
Talia quum scribat Ronsardus Apolline digna,
Scribat ei, teretes puero cui Cynthius aures
Præbuit; alterius nec laudis egere videntur,

Nec prece, nec studio commendatoris amici.
Illa, scio, passis manibus, veloque patente
Excipies; excepta leges relegesque libenter.
Nam neque tu poteras alio sat carmine digne
Laudari, atque hujus qui carminis æquet honorem,
Et paria eximio reddat præconia vati,
Nullus erit; quis enim Ronsardo digna reponat?

AD HOSPITES.

Hospitibus caris ad nos qui sponte relicta
Divertere via, quæ pulchra per oppida ducit
Insignesque locos, ut in hoc me rure latentem
Invisant, multam libet impertire salutem;
Quorum (spero equidem) quam semper suavis in urbe
Ante mihi fuit usus, erit tam suavis in agro,
Si mecum esse volent aliquantum et vivere mecum.
Sed vos, o dulces socii, quo munere donem?
Nam neque delicias neque luxum quæritis urbis,
Expleti et saturi his mento tenus, et mea non sunt
Tam bona prædiola, ut bene lautos pascere possint.
Angusti et tenues, domini non divitis, agri
Sufficere hospitibus poterunt vulgaria parcis:
Lactentes vitulos, agnum, porcumve bimestrem,
Poma, nuces, manibusque uxoris consita nostræ
Vina, fabas, et pisa, napos: at cætera nobis
Suppeditat nitidus vicinæ vallis arator,
Saxosæque forum mercatu nobile Messæ.
Est domus ampla satis dominum quæ possit et illi
Tres capere adjunctos comites, vel quattuor una,
Nec fundus villam, nec fundum villa requirit.
Cultus erit mensæ non rusticus, urbe salinum
Argento factum veniens huc extulit uxor,

Et secum referet, sunt et mantilia filo
Pertenui, mundis sunt lintea stragula lectis.
Proxima quæ mox ordinibus distincta videtis
Nunc loca, directisque, et solem arcentibus ulmis,
Sub domino vetere et segetes et culta fuere;
Mutavit veniens ea conjux, et nemus auxit
Conjunctum, multam domino quod porrigit umbram.
Huc prima fero luce pedes, hic carmina condo,
Aut aliquid Flacci relego, doctive Maronis,
Nugarumve aliquid commentor, et ambulo solus,
Instructis epulis cœnatum dum vocet uxor.
Quod si venandi studio capiere, fugaces
Per silvam multi lepores impune vagantur,
Et circum volitat varium genus omne volucrum,
Villicus insidias avibus quia tendere nescit:
Nec secum trahit ille canes, nisi forte tuendo
Quos habeat pecori, neque præda vescitur ulla.
Forsitan exspectas qui fons, qui rivus et arva
Irriget, unde sitim restinguat cum grege pastor:
Jugis aquæ puteus satis est cultoribus agri
Et dominis, ovium collectos grex bibit imbres.
Nam quid ego fontes, viridantia prata quid optem?
Augerique meos cupiam ceu ruris amores?
Una voluptatis quæ pars nisi dempta fuisset,
Hic mihi perpetuo statuam fortasse manendum,
Urbe, foro, et nostris cariturus semper amicis.

AD PAULUM.

De Camboreo prætorio seu regia villa.

Camboreæ qui visus ager mihi sit modo villæ,
Quæ regio, qui splendor in ædibus intus et extra,
Qui laxis in porticibus rectisque columnis,
Quæque ima et media et summi fastigia tecti,
Quæ scalæ duplices, et inextricabilis error
Hac illac tanquam ignota regione vagantum,
Et quæ visa domus sit nobis denique tota,
Paule, rogas? Uno tibi possim absolvere verbo,
Regia, ne fortasse vagans per singula fiam
Longior, ac, si quæris, in hoc sunt omnia verbo.
Præterea si nosse juvat quisnam fuit auctor
Tam præclari operis, quisve has sibi condidit ædes,
Et quis arenosi tot nuper jugera campi
Instituit, vivosque lacus circumdare muro,
Illius ingenium (facile est quia dicere nomen)
Exemplo nequeam tibi commonstrare : sed ipse
Quantum acie visuque potes contendere mentis,
Finge tibi speciem, quæ summi maxima regis
Optimaque esse potest, et talem crede fuisse
Illum qui vivens opus hoc mirabile fecit;
Magnanimum, qui res humanas duceret omnes
Infra se positas; cujus vim attingere mentis

Nullius manus artificis, nullique labores
Exprimere, aut vivo potuerunt reddere saxo;
Qui semper divinum aliquod spiraret et altum,
Qui pedibus terras et vertice tangeret astra;
Cui neque pyramides Libycæ Rhodiive colossi,
Quæque alia audierat toto miracula mundo
Visa unquam sunt magna satis; qui sæpius ipse
Et majora ausus vivens, et maxima fecit;
Qui lignoque lutoque exstructas ante, reliquit
Marmoreas, cinxitque præaltis mœnibus urbes;
Quique rudes animos nostræque ferocia gentis
Ingenia excoluit studiis, moriensque parentis
Musarum pulchro meruit cognomine dici.
Quare nunc tantum mirari desine regem
Ædificare sibi tanto prætoria sumptu,
Quem non tota suis capiebant oppida muris
Lugdunum, et magnæ jam par Lutetia Romæ;
Cui neque magna satis duo talia regna fuissent.
Ac quum multa sui monumenta reliquerit ille
Ingenii, tum viva patrisque simillima formæ
Cernitur in natis expressa duobus imago.
Filius ingentis regni successor et hæres
Armorum studiis excellit, et arte regendi
Imperio populos patriis se laudibus æquat.
Filia divinas amplexa est Palladis artes,
Pacis amans; nam pace bonis locus artibus, ipsa
Denique pacifica Tritonia gaudet oliva.

AD ANDREAM TIRAQUELLUM,

SENATOREM PARISIENSEM DOCTISSIMUM.

Qui nondum plane tersus, nondumque politus
Olim imprudentis domini liber ænea claustra
Ruperat, effracto veluti qui carcere fugit
Hinnulus, et spatiis decurrere gaudet apertis;
Tandem opera magna, studioque retractus herili
Sub clavem tristesque foros, ibi tempore longo
Oppressus latuit : nunc multo quam fuit ante
Divitior, plenis et jam maturior annis
Redditur in lucem; qui tantum distat ab illo,
Quam gravis et sapiens annis juvenilibus ætas.
Utque scias plane perfectum, auctore libenti
Prodit, judicium, lector, grave cujus apud te est.
Multa quidem monumenta tuæ virtutis habemus,
Andrea, multis venit tibi gloria rebus :
At te non alio tantum jactaveris ullo,
Judice me, nullo ingenium tibi se mage tollet,
Quam quo vincla doces animis aptare duorum,
Et quibus ille roget verbis, quibus illa sequatur,
Quæ sint conjugii stantis, quæ jura soluti :
Uno cuncta simul conclusa volumine justo.
Scripseris haud dudum quamvis opus utile, nostro
De conservandis in nomine rebus avitis,

Quæ vel nequitia, vel dura sorte propinqui
Mutarunt dominum, atque alieno jure tenentur.
Ipsa tibi fecunda licet natura novarum
Quotidie rerum species formasque ministret,
Mox alium jungens, alio defuncta, laborem;
Ingenii specimen nequeas tamen edere majus.
Sic etenim macra et sterili versatus es in re,
Tot dotes istuc, bona tot peregrina tulisti,
Ut nihil uberius meliusve hoc viderit ætas.
En dici quod sæpe solet, præstantia posse
Ingenia e parvis elephantos reddere muscis:
Sic Culicem noster, sic Græcus lusit Homerus
Prælia ranarum nunquam pugnata duello.

AD LANCELOTUM CARLUM,

EPISCOPUM RHEGIENSEM.

Quid tu, quid Fressius, quid melle Gelasius omni
Dulcior, ecquid agit reliquorum candida vatum
Et dilecta cohors? Opibusne intenta parandis
Pierides ipsumque excussit pectore Phœbum?
Magna palatinos accendunt præmia vates,
Magnus honos, sua quum recitari principis ante
Ora vident, ferrique in cœlum scripta. Quid inde?
Larga nempe manu pretium rex carminis æquat.
Esuriunt alii studiis et honore carentes,
Splendida non ausi contingere limina regum,
Sicque suis plures noti modo civibus aulam
Principis et vultus nunquam subiere serenos.
« Non eadem semper fortuna, vel omnibus una est. »
At vos qui tumidi servatis limina regum,
Qui faciles Musas intro quum vultis ad illos
Ducitis, aut sacro prohibetis limine; quorum
Omnes arbitrium subeunt ubicunque poetæ,
Externis aperite fores virtutibus æqui;
Nec mala suspicio, nec vos aliena retardet
Gloria, nec magni trepidum certamen honoris,
Quos sua jampridem virtus super æthera raptos
Exemit numeris, altaque in sede locavit.

Sæpe levis calamus, vel agrestis fistula, somnum
Excussit nimia citharæ dulcedine captis.
Ut stomachus satur altilium quandoque volucrum
Visceribus gaudet bubulis rostrisque suillis,
Neglecta panemque siligine devorat atrum :
Sic non magna placent, non et pulcherrima semper
Carmina; contentus, quæ sese prima legenti
Forte dabunt, aliquis non jam meliora requiret.
Vos nunc Armoricas securi invisitis urbes,
Littoraque Oceani flavis adversa Britannis,
Et Macloi fanum, Venetosque antiqua ferentes
Ornamenta, suisque habitatam regibus arcem,
Et Bresti portum, laxo tutissimus alveo,
Qui facile accipiat venientes mille carinas.
Vix desiderium sed amans regina mariti
Perferet, absentisque moras lentosque regressus,
Et fraterna soror vestigia tarda queretur.
Nequidquam Bogius tantum lenire dolorem
Tentabit, nequidquam alii, pia turba, poetæ.
Non alio mulier quondam magis ulla marito
Arsit, nulla soror sese huic in fratris amore
Comparet. O junctas æterno fœdere mentes!
O quibus est impressa animis virtutis imago,
Quos sibi conciliat, quantosque adjungit amores!
Præsertim simili quibus est natura metallo
Ingenium fabricata, coli si contigit iisdem
Moribus et studiis, et eadem vivere sorte.
Tu regi comes is, et magno regis amico :

Me verò secessus habet nunc ruris amœni
Litibus elapsum mediis urbisque tumultu;
Me reficit tellus ornata virentibus herbis,
Villa solo modico surgens operisque vetusti.
Contiguum villæ nemus est ac frondea silva,
Quæ lepores mensis, domino quæ sufficit umbram;
Nulla tamen varios ostendunt prata colores,
Nulli cum strepitu saliunt per gramina rivi;
At certe putei non deficit unda perennis.
Contrahis hic frontem, meliusque precaris amico
Judicium; sed quis locus egredientibus urbe,
Quæ regio, quæve ora parum videatur amœna?
Fortunatus eram, mihi crede, nimisque beatus,
Ni Deus hanc nobis aliquis turbasset ab alto
Lætitiam, pluviasque hiemes pro vere dedisset;
Vastinos saltus sterilesque Aponis arenas
Pinguibus anteferam cultis campoque feraci.
Sed jam causidici lites et jurgia miscent,
Et fastos venisse dies, et tempora clamant
Utilia : en quocumque rapis te subsequor Hermes.

AD JANUM MORELLUM,

EBREDUNÆUM.

Hæc mea quorumdam sermonibus otia carpi
Rumor erat, nostroque maligno dente labores
Conscindi, Morelle, parum ac si judice digna
Res sene sit, multos qui gesserit urbis honores,
Scribere ludentem puerili carmina more.
Quæ contra non ipse habeam quid dicere possim,
Communi tribuenda rei si tempora furer
Improbus, atque meis postponam seria ludis.
Nunc mecum nemo certaverit omnibus erga
Reges officiis, patriæ vel commoda nostræ.
Dum mihi cura fuit privatas scindere lites,
Et dare jura foro, subsellia primus inivi
Mane viam facibus puero monstrante; recessi
Postremus, decimam quum præco renuntiat horam.
Nec, quo more solent alii plerique, vagabar
Porticibus curvis, cunctanti iratus arenæ,
Infensusque reis; sed in una sede manebam
Fixus, et immoto prope corpore; qualia nostrum,
Sæpe suos memorant post admonuisse Quelinum
Exemplo durare meo. Quæ regis in aula
Nostra fuit, dum supplicibus subscribo libellis,
Quæque locis aliis, aliisque industria rebus,

Quæque hodie postquam rationum credita nobis
Dispungendarumque fides, et maxima cura est:
Nec te, nec quemquam cui sim modo nomine notus,
Ignorare puto. Sin quas bene munere gesto
Post reliquas nobis respublica fecerit horas,
Impendo studiis, nec iners, nec tardus, honestis,
Scribo, lego, meditorve aliquid, vel carmina condo;
Cur ego culper ab his locupletibus et bene lautis?
An cessare placet magis, et nil prorsus agentem,
Aut lateres numerare domus, aut prætereuntum
Nomina, vestitum, faciem formamque notare?
Hoc, peream, nisi sit gravius, quam pondera ferre.
Lude igitur, dormi, bibe, comessare, quietem
Artubus et fessis da lentus, et accipe membris.
Hoc quoque majus erit, quam trudere saxa molasve.
Non me turpi aliquo lucem consumere ludo,
Non jactis nocturna juvat me tempora talis
Fallere, non totas resupinum stertere noctes,
Aut fœdo satyros imitantem more salaces
Scortorum gregibus maculosis psallere mistum;
Non lusisse pila, magno spectante theatro,
Depositaque toga, quanquam is tibi Scævola ludus
Dicitur arbitris quondam placuisse remotis.
Ergo privatam rem procurare memento,
Usurasque puta, et crescens per menstrua fœnus
Tempora, quem verso reditum sors afferat anno.
Usuras etiam nobis memorare trientes
Audes, aut alias? Alieno versor in ære,

Nec mihi census equestris adhuc fuit, aut erit unquam.
En tibi lectorum clarissima nomina patrum,
Qui velut ædificare domum qui cogitat, ante
Materiam, cæmenta solet calcemque parare,
Ipsi non aliter festis suevere diebus
Instrumenta domi cognoscere multa reorum,
Inque breves conferre notas, quo deinde futuris
Copia judiciis large provisa redundet;
Ante solent numerare quot ex hac lite, vel illa
Proveniant nummi, quæ merces quamque sequatur.
Ah! male, si transacta prius decisaque pacto
Lis fuerit, labor immensus cadet irritus illis.
Nam memini quemdam plenum gravitatis et annis,
Burgunda de gente senem, cui mille ligatis
Inclusæ saccis pendebant ordine lites.
Has omnes animi causa, semel omnibus horis
Ille recensebat, minimumque putabat ad assem,
Quid tandem lucri numero speraret ab illo.
Ut pastor, cui mille boves in montibus errant,
Quem ferat ex vitulis fructum, quem lacte reportet
Presso vel liquido, quem denique matribus ipsis,
Subducit tacitus, nummo nec fallitur uno.
Nec tantus dolor huic subtracta forte juvenca,
Illi quantus erat sine judice lite soluta,
Pacatisque reis tabulas repetentibus ultro.
Quas tamen invitus semper, magnique coactu
Concilii, post terna quaternaque denique jussa
Reddidit. « Hoc vero est statuentis judicis æquum?

« Non venalitii, non mercatoris avari? »

Ecce supercilio quidam metuendus acerbo,
Peccas tu, peccant alii, peccatis utrique,
Durus ait; sed tu longe deterrima peccas.
Hic pater est aliquis de gente severus, opinor,
Fabricia, Curiave; togam cui ferrea nectit
Fibula sub mentum, sine barba, intonsus, et asper,
Tristis, difficilis, cui sordent omnia quamvis
Bella foris; tamen est idem turpissimus intus,
Si propius spectetur. Ab hoc ego judice quæram,
Perconterque libens, placidos componere versus
Peccatumne putet natura, an legibus esse:
Orem, nos doceat, quibus aut distinguere signis
Noverit a curvis recta, aut fugienda petendis.

Nescivi esse malum, fateor, non hercle, magis quam
Scribere sensa animi nostri sermone pedestri.
Ipsa, vides, natura quidem nihil impedit, et lex
Nulla vetat; tantum famosum scribere carmen
Pœna fuit tabulis, quas condidit Appius olim.
Id vero me perpetuo vitasse, molestus
Terribilisve meis cuiquam ne versibus essem,
Repperies. Nil turpe sonat mea pagina, nullum
Tristius, obscurumve in nostro carmine verbum.
Quin etiam nostris pueri fortasse legendis
Profieient, ipsique senes queis candida mens est
Dissimilesque tui. Sed deteriora videntur
Cur mea; cur ego deterior quum profero lectu
Non indigna, bonos non corrumpentia mores?

Fas studia illorum, fas sit componere nostris :
Tum facile agnosces quantum distemus ab illis.
At dicor, Morelle, malos componere versus,
Non bene cælatos, male pressos, et sine cura
Ac studio, faciles, puros et sponte fluentes.
Hæc mea culpa, fatebor enim, mea maxima culpa est,
Qui rem tantam adeo, tantique laboris et oti,
Aggrediar paucis absolvere fervidus horis.
Nam neque tam facilis, quam multis esse videtur,
Nec tam parva bonum res est bene claudere versum.
Dicam illo me errore capi, qui decipit omnes
Scriptores alios, ut amet sua quisque, putetque
Optima, quæ non sunt? Satis hoc satis auribus æquis
Esse potest. At vero ignoscent hi mihi nunquam
Censores rigidi; nam quis te cogit, amice,
Ad male scribendum? Facias si forte coactu
Prætoris, veniæ poterat locus esse petendæ,
Ut quondam Albino fertur dixisse Catonem.
Hujus culpa rei mea sit scribentis inepte,
Forsitan et nimium properanter : tu quoque partem
Non minimam, Morelle, feres, qui nostra repostis
Carmina scriniolis, ne lucem inclusa tueri
Possent, me contra multum pugnante magistro
Solvis, et in claras educis luminis auras.
Unde tibi video insultus et bella parari
Maxima, dum, Morelle, tuos defendis amores.
Cura sed hæc tua sit : tu videris ipse, priorem
Mi satis est urgere locum, pedibusque tenere :

« Scilicet hunc nobis indignum haud esse laborem,
« Nec male scribendis in versibus otia poni,
« Et poni melius, quam si per lucra bonorum
« Omnia, perque voluptatum genus omne vagarer. »
Hæ sunt deliciæ nobis, ea læta laborum
Perfugia, huc lassi curæque operæque forensis
Tanquam ad frondosi nemoris divertimus umbram.
O miseri, quibus est nunquam Parnassia rupes
Trita pedum plantis, qui nunquam e fonte bibistis
Castalio, quorum stupidas inscitia mentes
Detinet! o, si quam liquida et quam suavis ab illo
Manet aqua in venas et vatum pura sciatis
Pectora, desipere haud nosmet puerosve putetis
Bis fieri, non tot sine causa scribere versus:
Otia vestra meis nunquam potiora feratis.
Hæc, Morelle, tibi paucis scribenda putavi,
Hæc tibi nempe, meis cui respondere malignis
Continuus labor, et virosa refellere dicta:
Ut linguis posthac faveant, terrere novis me
Criminibus saltem et maledictis figere cessent.

AD CAROLUM LOTHARINGUM,

CARDINALEM.

Qui te distineat levibus nunc, Carole, nugis,
Oppressum ingenti graviorum pondere rerum,
In patriam et regis vehementer commoda peccet,
Et merito nomen referat scriptoris inepti.
Hoc ego prospiciens, mihi longa silentia pridem
Impero, te quamvis facilem promptumque legendis
Expertus sum sæpe meis, licet usque tenerent
Districtum variis sexcenta negotia curis.
Sed quum tam celeri decurras omnia pernix
Ingenio, satis usque tibi, satis ipse relinquis
Temporis ad nugas et inania carmina vatum;
Et tamen ostendis tibi non magis ulla placere
Scripta meis. Quæ res igitur me continet, audi.
Quidlibet aggressus donec procul hoste fuisti,
Donec eram tecum pacata regis in aula,
Nunc inter strepitus armorum et tristia belli
Tempora compellare virum non audeo : sævis
Et neque mansuetas castris inducere Musas,
Nec te sollicitum magis unquam pace fuisse
Arbitror, aut bello, quum nostris finibus ingens,
Et quantus non ante, Philippi exercitus erret;
Quum populos rex ipse suos adducat in hostem,

Germanisque tuis ducibus res tota geratur :
Hoc tamen ignosces, et te patiere moneri,
Cætera quum vigilans acerque negotia tractes
Publica, nec patriæ cedas in amoribus ulli,
Segniter ipse tuam nimium curare salutem
Diceris, et requiem membris somnumque negare.
Audio quid referas, etenim respublica nobis
Est vita potior : quid si projeceris istam
Despiciens animam, non magnum, Carole, vulnus
Intuleris patriæ, quæ longos sperat in annos
Subsidio lapsis te sæpius affore rebus?
Hic, dicent homines, fervens calidusque juventa
Perdidit et sese et patriam, consumpsit in uno
Spes omnes pariter venturi temporis actu.
Non si præteritis potuisti evadere morbos
Temporibus, debes quoque sic sperare futurum
Semper : adhuc ætate viges animisque, sed illum
Paulatim minui tamen experiere vigorem.
Nam neque corpus habes firmum patiensque laboris,
Quale vel athletis, duris aut quale videmus
Militibus; meliori tibi similique Deorum
Parte vales : finxit studiis civilibus aptum
Te natura, parem studiis te pacis in umbra
Esse dedit, solem cum pulvere ferre negavit.
Arma tui fratres atque horrida castra sequantur
Militiæ assueti, jam cum puerilibus annis
Virtutem genitore suo didicere magistro.
Tu colere ingenuas artes, patriamque memento

Consiliis formare tuis, absiste periclis
Armorum gravibus, cole et oppida lætus et urbes.
Deficere in cursu medio clarissima quæque
Ingenia, et tanquam nebulam transire videmus,
Dum laudem eximiis properant extendere factis,
Collaque summittunt oneri non æqua ferendo.
At prescribe modum nobis finemque laborum.
Non tantum mihi sumo vel arrogo stultus et amens,
Acrius ut me posse putem meliusve tueri,
Quatenus indulgendum operi sit cuique, vicissim
Quatenus et requies interponenda labori:
Tu facile in media, si paulum attendis, arena
Consilium capies, nec longius ire trahentem
Ilia quadrupedem subiges, ne lassus eundo
Restitet, et medio sessorem in pulvere fundat.
Hæc studio vel amore tui, fortasse nec excors
Nec stultus monitor, paucis scribenda putavi.
Quod si res te forte juvat cognoscere nostras,
Et quid agat regina sui studiosa mariti,
Quid regis soror atque nurus, quid fratris et uxor
Anna tui, comitatus et omnis inutilis armis,
Accipe: continuis precibus votisque fatigant
Numina magna Deum, regi vobisque salutem,
Et reditum celerem victo prius hoste precantur,
Bellandive moras, aut æquo fœdere pacem.
At populus civesque mihi rumore moveri
Hostili minus atque minus trepidare videntur:
Sive quod assueti jam bellis, sive quod hosti

Oppositum regem et Francorum robora gentis
Cuncta sciunt, quæque auxilio modo millia nobis
Multa virum Rheno atque Albi venere relicto.
At sunt nonnulli qui non præsentia lætis
Adspiciunt oculis, hi semper nostra videri
Inferiora volunt, augent aliena maligni:
Stant animi tamen, et facies velut urbis ab hoste
Securæ; non justitium clausæve tabernæ,
Non mercator, ut ante, suas formidine belli
Adsportat pavidus plaustris et flumine merces.
Non ipsi teneras amandant urbe puellas
Solliciti patres, non rerum cara suarum
Pignora, non thalami sociam vitæque maritus.
Quisque suis fruitur velut alta pace, futuri
Haud metuens, et jam venienti prospicit anno,
Lectaque rure suo comportat lætus in urbem.
At non, matre mala, fama, sata filia pejor
Æoliæ regis compressuque edita quondam,
Magna silet, magnique habitatrix ipsa Palati,
Bellua, cui centum linguæ sunt, oraque centum,
Centum intus variæque animæ, mirabile dictu!
Nam modo vos audere nimis, totisque coactis
Viribus, in discrimen atrox adducere regnum
Prædicat, his nullam cæsis superesse salutem
Militibus; nullas a tergo stare cohortes
Subsidio; primam Francorum nominis urbem
Florentem studiis, opibus, sanctoque senatu,
Exponi in prædam cupido crudeliter hosti.

At modo vos postquam est auditum ponere tuto
Castra loco, et validæ prope jungere mœnibus urbis,
Cingere tum vallo fossaque et fluminis alveo,
Ne qua parte ferox incautos opprimat hostis;
Longa illum distare via, valdeque remotis
Consedisse locis, longum intercedere campum
Inter utrasque acies, non desinit illa superbo
Ore queri, vos hoc diuturnum quærere bello
Imperium, trahere et producere bella per artem,
Otia ne redeant populis optata vereri:
Unde tot immanes sumptus, et tanta petentur
Præmia militibus; præstat decernere pugna,
Totque malis tandem semel unum imponere finem.
Aut, quo tot peditum nobis equitumque parata
Millia, si tantum fuit intra castra manendum,
Nec campis animus certare patentibus hosti,
Aut aliquam capere insidiis aut viribus urbem.
Nunc quoque quum pacis tota crebresceret urbe
Mentio, complecti se pacis amabile nomen
Dicebat; sed agi rem conditionibus æquis
Per servos nec posse tamen capitisque minores;
Et neque Taurinum, nec quæ vicina placere
Oppida restitui, positasque in montibus arces.
Quæ loca præsidiis teneat si miles Iberus,
Nil fore continuo regnet quin solus in omni
Italia, Rhodanique suos in fluminis unda
Tingat equos. Satis Insubrum, satis usque videri
Amisso nos imperio caruisse tot annos.

Nec justum, missos modo sub juga nostra Caletes
Reddere, vicinis prius usurpata Britannis
Oppida, Cressiacæ post tristia tempora pugnæ;
Nec captam nuper Treveri in finibus agri
Urbem nunc, villam ante, deorum nomine dictam,
Quæ firmo superas præmunit limite Metas,
Claudit iter, nostrosque feris disterminat agros
Gentibus, hæc mitti regis ditione vetabat.
Multa per Ardennam castella vel oppida silvam
Esse, quibus possit Quintinum, possit et Hamum
Mutari; captiva lui quæcumque nec agris
Corpora, nec vicis debere, nec urbibus ullis:
Sed nummis sibi quemque suis, quia fiscus inanis
Sumptibus est, reditum libertatemque parare.

Quid, quod dissentire duces, discordibus esse
Nunc animis, privata odia exercere furentes
Clamitat, et patriæ bellique relinquere curam?
Vel nostro regisque malo se qualibet ultos
Infensi ratione velint, cupiantque videre
Ardentem patriam, vindictæ tanta cupido est,
Dum flagrent inimica tamen capita ignibus iisdem.

Hæc audita aliis, vel non audita, sonanti
Voce refert. Monstro nihil est virosius illo
Quum linguas acuit. Sed idem quum somnia fingit
Ridiculum est; veris aut quum mendacia miscet,
Non tam deformes unquam est commenta Chimæras
Græcia, non ulli nocturno tempore somni
Tam varias rerum aut hominum finxere figuras.

His ego versiculis te delectare legendis
Absentem volui, gratum hoc tibi tempore si quid
Esse potest: præsens me namque rogare solebas
Quid populus ferret, quid bestia magna Palati,
Te memini risu solitum ridere profuso
Audieras ut quidque, moveri nec magis ac si
Iracunda viam canis adlatrasset eunti.
Ipse vides pigramque et lentam quam trahit alvum
Hoc animal, cernis quam fœda sit illius oris
Ingluvies, manibus vel ut omnia corripit uncis,
Utque bonos pariterque malos configit acutis
Dentibus, ut nullis hominum vel parcere novit.
Non tamen hæc spernenda puto quæcumque feruntur,
Unde etiam, prorsus nisi famam negligit omnem,
Proficiat sapiens; ut respondere querelis
Injustis hominum, vel se defendere possit,
Et monstrare suo vel prodita crimina falso
Affigi capiti, aut aliud quodcumque fuisse
Principio causæ, quam post quæ credita vulgo est:
Proderit et (quando nullius crimine prorsus
Vita vacat) rescire tamen, quæ facta reprendat
Dicta vel a nobis populus, perpendere secum
Singula. Sæpe etenim quæ vel non cernimus ipsi,
Quæve monere parum fortis non audet amicus,
Quæve putamus adhuc pressa atque occulta latere,
In platea, in triviis inimico audimus ab ore,
Instruimurque malo fugienda sequenda magistro.
Hic mihi finis erat; sed enim tibi gratia magna est,

Carole, quem nostri memorem cognovimus esse,
Quum scribens aliis nuper mandata dedisti
Imprimis solita gererent sua munera cura,
Ut verbis nos deinde tuis salvere juberent
Vulgari non more, sed illa, Carole, rara
Insignique nota, qua contestaris amores
Et scriptis et voce tuos, tota aurea visa est
Hæc mihi scripta manu properantis epistola : tantum
Nescio qua ratione meo in prænomine lapsus,
Ipsum, quod satis est, tenuisti nomen; at illud
Ut teneas nec multum etiam valdeque laboro,
Perpetuum nostri serves dum fixus amorem.

AD CAROLUM LOTHARINGUM,

CARDINALEM.

Carole, si vano non est auctore subortus
Rumor, et a gestis cœpit primordia rebus,
Agnosco, memini quæ te mihi dicere quondam;
Si tuus hic esset rerum quandoque potitus
(Henricum ostendens nondum illo tempore regem)
Æternum fore nos felices atque beatos.
Nam quoties mecum librans examine justo
Confero præteritis præsentia; tum velut alto
Oppressus somno videor mihi cernere vana
Quædam visa, ipsumque meis me fallere votis;
Condere pro libito, replereque civibus urbem,
Qualem quisque sibi sapiens et fingat et optet,
Qualis Socraticive libris expressa Platonis.
Rursum ubi collegi sensus ad meque reverti,
Intendens oculos propiusque et lumina mentis,
Vera vel agnosco, speciem vel habentia veri,
Quæ de rege tuo passim nostroque feruntur.
Dii faciant ut ne videantur somnia; verum
Judicio atque animi certa ratione peracta!
Quanquam hæc non hominum nobis suscepta videntur
Consilio, at fatis potius monituque Deorum.
Qui potuisset enim fieri mutatio rerum

Tam subita, inque novam respublica vertere formam,
Ni deus Henrici pulsasset pectora regis?
Qui simul imperii moderandas sumpsit habenas,
Gallica præsidiis firmavit sceptra duobus:
Principio cauti fungens opera ducis, urbes
Hostibus oppositas et milite sepsit et armis;
Proxima cura fuit patrios componere mores,
Et luxum toto penitus depellere regno.
Inde nova augendo quæsitaque nomina fisco
Sustulit, indictum atque oblatum regibus aurum.
Adde sacerdotum decumas, et cætera monstra
Istius generis, quæ non explebile bellum
Suaserat. Hæc placido cesserunt omnia regi.
Quin etiam data rescriptis, non lege, removit
Judicia, et voluit cognosci ex ordine causas.
Odit avaritiam et sordes aliena petentum,
Qui vivis etiam properarent ducere funus,
Damnato nondumque reo, fundumque laremque
Eriperent, pulsis misera cum conjuge natis.
Jamque magistratus varios auctumque senatum
Sedulus instaurare parat, primoque decori
Reddere; jam castis committere sacra piisque.
At non forte pari ratione domestica tractat?
Nulla domus constat privato rectius ulli.
Pro se quisque suas ullo sine murmure partes
Exsequitur, multos certus mercedis in annos.
Ipsa pudicitiæ est aliis regina puellis
Exemplum; cingit latus illi regia virgo.

Ambæ Palladiis imbutæ pectus honestum
Artibus, eximiis ornatæ moribus ambæ.
Hæc est forma rei privatæ, hic publicus ordo.
Talia nempe dedit summi præludia nobis
Imperii, magno velut inspectanda theatro
Totius Europæ: quæ sunt majora videndo,
Speque tenent erecta sui mortalia corda.
Quos hinc nobilium sibi conciliavit amores,
Quæ populi studia, et quantum sibi laudis in omne
Providit longe venturi temporis ævum:
Quanta sacerdotes ejus pro vota salute
Suscipiunt, orantque Deos extendere vitam,
Et vetulos illi regno succedere natos.
O te felicem, et multis, Henrice, beatum
Nominibus! Felix o tanto principe regnum!
Sed nihil instituisse valet, nisi cætera pergis
Quo pede cœpisti. Malus est, mihi crede, poeta,
Qui stetit in primis, extremo concidit actu.

LIBRI SECUNDI FINIS.

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBER TERTIUS.

***

MICHAELIS
HOSPITALII
EPISTOLARUM
LIBER III.

AD FRANCISCUM OLIVARIUM,

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

Tot, Francisce, dies me nil scripsisse, tot annos
Congressu caruisse tuo, non hercule possim
Excusare tibi (malo hanc agnoscere culpam),
Cui tamen acceptum refero quodcumque paravi,
Quodque mihi laudis vel honorum contigit unquam.
Nam te communem videor gessisse magistro
Rem mihi, nec cessisse malis rumoribus urbis,
Nec vani curasse quid inter pocula cives
Evomerent, nec quid sentiret mobilis aula,
Dum rectum virtutis iter cursumque tenerem.
At multos ea res nobis mutavit amicos:
Mutavit, fateor; « si nomine dignus amici est,

« Qui non justa rogat, qui turpia poscit amicum. »
Forsitan et fictis in amoribus est quoque damnum:
Esto; sed hos retinere cupis si fixus amores,
Constatura tibi magno non maxima res est.
« Namque hominem studiis hominum servire volentem,
« Multa Deos etiam contra peccare necesse est. »
Nec dubito, quin si possis utrumlibet, istud
Arripias, potiorque tibi sit gratia Divum.
« Quo levis ambitio, regum populique favores,
« Quo circumstantes famuli, quo turba clientum,
« Si Deus hæc oculis cœlo non adspicis æquis,
« Si divina brevi manet ultrix ira nocentem?
« Maxima pars hominum quæ sunt præsentia tantum
« Spectat, et æternæ pœnas ac præmia vitæ
« Negligit; ut quæ sunt spatiis disjuncta locorum
« Temporibusve, solent minus esse pericula curæ.
« At fortes animi prorsus nihil ista morantur,
« Quæ sunt fluxa, caduntque citò et mutantur in horas:
« Non illos aurum, non spes, non gratia flexit,
« Non metus; erecta circum fora fronte vagantur,
« Introeunt aulas venerandi regibus ipsis. »
Franciscum memini primo jam tempore regem,
Sive salutatum Balius, seu Selva veniret,
Assolitum dubitare priorne assurgeret illis.
« Majestas adeo virtuti regia cedit. »
Te verò quoties miratus et ille loquentem
Secum, te quoties miratus et ille tacentem:
Consilio quam sæpe tuo res gessit honestas,

Turpibus abstinuit? Nec tu non ipse videbas
Libertate odium conflari semper, amicos
Obsequiis blandoque magis sermone parari.
« Sed forti jucunda viro est magis horrida virtus,
« Sit damnosa licet, sit inutilis et sine fructu,
« Quam nimis offensæ metuens et avara bonorum
« Calliditas, collecta malis quam gratia rebus. »
Talis eras, talem te principis aula videbat:
Nec tamen aut linguas hominum vitare dicaces,
Aut fugere invidiæ potuisti noxia tela.
Difficilem, durum, tristem, rigidumque vocabant,
Et minus urbanum, posses non æqua negare
Principibus, posses qui vultus ferre potentum,
Et suadere intra recti consistere fines:
Ut vetera hæc, nostris neque moribus apta notabant.
Durasti plures quam quisquam crederet annos:
Ecce velut supero demissum fulmen Olympo
Concussit totam geminatis ictibus ædem
Justitiæ, qua tu ingenti cecidisse ruina
Creditus, erexti caput altius: ardua tanquam
Imposito attollit contra se pondere palma.
O ingens veræ pietatis et aurea merces!
O cœlestis amor, mundi securus honorum!
Non hæc Socratici de fontibus hausta Platonis,
Non Zenonis erant: CHRISTO meliore magistro
Edoctus, poteras quidvis perferre malorum.
« Omnibus ipse viris documento es, quam nihil usquam
« Perpetuum, quam nemo diu protectus amicis,

«Nemo sua virtute diu consistere possit,
«A superis animum si non acceperit æquum.»
Nam memini, quum nobilium premerere virorum
Insidiis, primum te fortiter omnia ferre,
Donec erant vires in corpore; viribus inde
Exhaustis, animus postquam tibi restitit unus,
Cessisti fatis, tuaque intra tectus abisti
Præsidia, integris cum fama et nomine rebus.
Ut fortis media quandoque relictus arena
Desertusque suis, tamen in discrimine miles
Cogitat extremo se nil admittere prorsus,
Indignum; cessim atque obversa fronte redire
In castra ad socios, mortive oocumbere honestæ:
Talem te videre tui, videre dolentes
Cedentem invidiæ, plenum gravitatis, amici:
Nunc vero absentem magni tenuesque requirunt,
Et clavum manibus cupiunt spectare tenentem.
Hæc utriusque tui perstrinxit temporis acta
Illætus noster calamus, quæ deinde poetæ
Innumeris alii describant versibus olim.
At me Trojani digressum Antenoris urbe,
Sex ubi discendis impleram legibus annos,
Litigiosa, procax, et plena Lutetia rixis
Continuo excepit; parvo post tempore sedi
Centum in judicibus. Non gratia, non metus unquam
Invictum mi animum dejecit tramite recti;
Divitias et opes contempsi, dona superbus
Rejeci, passimque oblatos victor honores.

Contigit hac vitæ ratione molestus ut essem.
Nonnullis, quos hæc libertas nostra premebat:
Laudabant alii. Nascens modo gloria nondum
Scilicet invidiæ stimulos persenserat acres;
Hique, recens offensa gravis quibus ante fuisset,
Post aliquot menses obducta in corpore plaga
Virtutem cœlo magna cum laude ferebant.
Inde fori longæque moræ pertæsus et urbis,
Publica jam canus spectare negotia cœpi:
Teque auctore Italas legatus principis urbes,
Conventumque patrum Europæ totius obivi.
Unde domum rediens multis oneratus in aula
Promissis, ad nobilium noscenda reorum
Crimina et unius tria nominis oppida mittor.
Hic rursum offendo, speque illa, quam prior annus
Fecerat, excussus, repeto intermissa palati
Munia, desuetæque iterum me reddo palestræ:
Quum subito qua parte spei minus atque salutis
Ostendebatur, me regia virgo jacentem
Sublevat, apprensumque manu confidere clara
Voce jubet: scis, Lothari, quæ deinde nepotis,
Quæ studia erga nos fuerint tua. Plura recepit
Optatis animus. Facile est non multa petentem
Exsaturare bonis. Et jam mihi posse beatus
Vivere, et Assyrios opibus superare videbar:
Ecce tibi vetus est lex instaurata, liceret
Nummos ne capere, et duplicata salaria lectis
Judicibus; quæ lata meo quia credita suasu

Lex erat, invidiæ flammis crudelibus arsi.
Æra sibi, et multos prius usurpata per annos
Commoda, lege nova clarissimus ordo fremebat
Imminui: tantam ipse mihi non arrogo laudem,
Hæc me glorier ut primum vidisse. Probavi
Inventum alterius divinum, quo decus omne
Judiciis et prima Deæ sua reddita sacra:
Corruptos sineret formari curia mores.
Usque adeo gravis hæc minimi jactura lucelli
Vobis visa, patres? tanta est injuria damni,
Ut temere et passim nullo discrimine primum
Quemque vel insontem peteretis dente canino?
Audierant aliquid fortassis: namque furorem
Vix illis tribuam, fertur quo percitus Ajax
Immeritas ferro pecudes mactasse cruento.
Vos etiam impulsu paucorum, quos sua notos
Fecerat improbitas, et turpi exercita quæstu
Lingua proterva, malisque opera ultro præbita causis,
Collegam veterem potuistis lædere dicto
Aut facto? Vobis rabulæ maledicta forensis
Excutere ex animo nostram sine crimine vitam,
Aut mores potuere, diu multumque probatos?
Vos appello, quibus perspecta prioribus annis
Est mea relligio. Vos, qui meminisse potestis,
Et quicumque fuistis eodem in munere mecum,
Arguite, et quamvis duris me subdite pœnis,
Si non præcipua et recti mihi semper et æqui
Cura fuit; si me unquam odium, si gratia flexit,

Si non et manibus puris, et pectore casto
Astrææ sacras accessi ad virginis aras;
Si non recta solo posui vestigia; si non
Tempus et omne mihi summa cum laude peractum est.
Invitus, Francisce, meis in laudibus hæsi;
Sed dabis hanc veniam, dum crimina falsa repello,
Et veras odii causas sequor invidiæque.
« Sæpe bonos odere mali, torquentur et imis
« Sensibus, aut sua quum virtuti præmia reddi,
« Aut meritum loca prima vident insistere civem,
« Præteritosque dolent et se non æqua ferentes. »
Scilicet æquales ea causa potissima nostros
Impulit, ut falsis de me sermonibus aures
Complerent juvenum, qui tempora nostra secuti
Vidissent me nunquam intra subsellia secum.
Assentit senibus male credula turba minorum,
Auribus apprendi patiens, ut cantharus ansa.
O stulti et faciles animi quocumque vocentur!
O, turpis levitas haud nomine digna senatus!
Hæccine judicibus produnt exempla futuris,
Ut satis ad pœnam sit delatoris iniqui
Vox? sint et maledicta satis sine testibus ullis?
Sed quid ego a rudibus summum ac solenne reposco
Officium? quid in his prudentia quæritur annis?
Atque hæc, sicut erant levia, et sine crimine certo,
Post paulum in tenues abierunt irrita ventos;
Denique paucorum monitis pars maxima cessit.
Nunc etiam fisci magis hæc nova cura tuendi

Reddidit invisum me furibus atque molestum,
Communesque domum solitis avertere nummos:
Nocturni ut vigilem fures odere draconem,
Aut illum qui fronte gerebat lumina centum.
Namque ferunt graviter sibi furta, velut prius, esse
Non impune: dolent rationes tempore posci
Legitimo, multamque aversi turpiter auri.
Atque alii extremum donata queruntur in annum
Differri, veteremque suo cum vindice legem
Explodunt: « genus hoc hominum quod venit ab aula
« Nosti quam petulans, et quam sit gnaviter audax. »
Quid faciam? privata mihi sit gratia civis
Cujusquam potior patriæ vel regis amore?
Ille habeat sibi dona ferox; at miles egebit?
At sine præsidiis annona armisque virisque
Nuda relinquentur venientibus oppida Cimbris?
At stipe defraudatus eques populabitur agros,
Et feret in longas hiemes provisa colono
Pabula multorumque vorax alimenta dierum?
Illa salutaris tua lex eversa jacebit?
Hoc ego dum prohibere malum atque evertere conor
Verticibus nostris, quorumdam commoda lædo
Nonnihil; at prosum communiter impare fine.
Communis quia parva rei vel gratia nulla est,
E re privata tantillum carpere fraus est,
Ac summum scelus, et nunquam placabilis ira.
Utile si consecter, et huic sim blandus et illi,
Evitare etiam linguas et crimina possim;

Forsitan immeritumque decus laudemque referre.
Tanto patronis vitium defenditur omne
Pluribus, et virtute magis populare videtur;
Et sunt lauti hòmines vulgo, qui publica pessum
Siccis ire vident oculis, nimiumque laborem
Et studia in patriam rident, ut inania prorsus.
Sed tua mi potior semper sententia sedit,
Cui neque privatorum odium, neque gratia curæ est,
Dum regi patriæque tuæ succurere possis.

FRANCISCI OLIVARII

AD SUPERIOREM EPISTOLAM RESPONSIO.

Janus Morellus tuam nobis epistolam reddidit, versibus conscriptam plane tuis, sed in queis teipsum quotidie superas. Candor, polities, lepos, minimum sunt in illis. At vero seria eruditio, sententiæ crebræ ac graves, mira ubique sanitas sensuum, et per totum poema (velut sanguis per universum corpus) diffusa læta quædam gratia ac jucunditas, me non minus capiunt, non secus afficiunt, quam Venusini tui doctissimæ epistolæ; cui, haud scio, an sis olim apud posteros cessurus. Ut interim taceam, quod totam tuam epistolam temperat optima artifex philosophia christiana. Nec tamen superiora hæc quamlibet egregia admodum miror, assuetus scilicet jam olim tuis legendis, in quibus talia nunquam non recognoscas. Istud mage miror, ab homine occupatissimo poemata hujuscemodi tam facile scribi. Silere dicuntur virgines Musæ, quum insanus ille Mavors furit, perturbat ac miscet universa. Feruntur et multis curis frequenter obstupescere, vacuæ quod carmina mentis, scilicet sunt opus, ut ille ait. Porro, quot molestiis ac turbidis negotiis veluti inundantibus quotidie pulseris, satis conjecto ipse,

haud ita pridem expertus; quando, bellicis temporibus, bona pars publicorum negotiorum in eorum humeros inclinat qui fisci ac rationum regiarum curam gerunt, quibus noscitandis ac dijudicandis ne Argus quidem unus suffecerit. Fac autem rationales omnes principis, cum quibus est tibi negotium, vel ad unum probos, ac nihil peouniæ regiæ intercidere, quod raro accidit, vel potius nunquam; quæ tamen usquam terrarum tanta est pecunia, quæ tot militum stipendia æquare valeat? quæ novis ac exquisitis coloribus subinde intruduntur. Qui Pactoli, qui Tagi, voraginem illam militarem expleant? Nunquam tot hominum millia insatiabilia satiabuntur; quum tamen nulla in re, si implacatis utare, majus sit periculum. Te in hisce spinis convolutum, in iis difficultatibus ac molestiis luctantem, tot versus condere, quales gelidis in vallibus Hæmi veteres illi poetæ fundere solebant, id vero est raræ ac eximiæ cujusdam felicitatis. Næ te oportet in omnibus Camœnarum fontibus, non labra solum, sed manus etiam ac pedes proluisse. Cæterum, tuam illam epistolam legens, quam ingenti voluptate sum perfusus, haud facile dixerim, quum tu mihi meam felicitatem poneres ob oculos, qui a freto illo aulico, procellis, ventis, tempestatibus continuis inhorrescente, in hunc portum, in hanc tranquillitatem devenerim, a qua, vel Attalicis conditionibus nunquam dimoveri sustineam. Hunc agellum, qualis qualis est,

nec Lydiis regnis permutaverim. Hic auctoramenta hujusce mundi disco posthabere stipendiis æternis; hic Christo, ac mihi vivo; hic calumniæ atque invidiæ virus, ipsis etiam nocentissimis venenis nocentius, egregie contemno. A quibus et te quoque ipsum, haud multo antehac impetitum, minus admiror, quod fere hæc hydra eximiis tantum viris obsibilet; et cum iis, qui publica sincere tractant, perpetuas inimicitias exercet. Ac quo quisque exactius atque innocentius rationes suas instituit, tanto in illum fertur acrius atque insidiosius. Siquidem calumniæ, adde etiam invidiæ, vix credibile est artificium; studium vero indefatigabile. Nihil est illis monstris fecundius. Quæ tu tamen haud ita magna opera profligabis, perpetua illa tua constantia amoreque recti, velut efficacissimo quodam antidoto præmunitus. Neque enim ullum certius præsidium, nullum satellitium potentius, quam quod innocentia afferre solet. Ab aula, ab amicis vulgaribus, ab aura populari ficulnum præsidium fuerit. Quanquam et interim, fateor, cunctis in muneribus suus est civili prudentiæ locus, ac sapienti cuidam dexteritati. Sed ita, ne a rationibus sulco longius aberremus, ne conscientiam nostram vulneremus. Quæ, ut dulcissimum est innocenti testimonium, sic mala fide versanti dirissimum est supplicium. Sed de his satis. Christus tibi præclarum hunc animum, hanc

sinceram mentem, istud in publica commoda studium, semper in majus augeat, atque animo isti egregio quamplurimos annos adjiciat. Ex Leonvillano nostro, XVII. cal. augusti.

AD JANUM MORELLUM.

De matribus quæ filios suos ipsæ non alunt, nec apud se domi educari patiuntur.

Quinque dies tantum dixi me rure futurum,
Octavum novumque diem desideror absens,
Et nisi me clara respublica voce reposcat
Officium, Errico præstandaque munia regi,
Forsitan hic totum sextilem ponere possim.
Perpetuum nam præter amœni ruris amorem,
Quo teneor, mecum huc proficiscens omne levamen
Urbani strepitus vexi curæque forensis,
Uxorem, natam et generum, parvumque nepotem,
Quo certe puero nihil est festivius usquam,
Ni me stultus amor, fallit qui sæpe parentes,
Et me fallit avum. Quid quum ridere trimestris
Cœperit? Hæ suaves etiam gratæque videntur
Mi lacrymæ, et rauco pueri vagitus in ore:
Hunc secum nutricis egentem mater ab urbe
Extulerat lectica, et vestibus undique tectum.
Nam quæsita diu quum femina lactis abundans
Nequicquam urbe foret tota, melioris in agro
Spes erat. Ergo lecta domum deducitur ad nos,
In tribus una fuit quæ fecundissima pagis:
Respondisse meis rebar jam numina votis,

Quum puer ardenti correptus febre repente est,
Frustra desiccata duo trahere ubera visus.
Circum omnes pagos iterum, circum omnia rursus
Oppida quæsitum genitrix aviæque remittunt.
Quum multæ ex omni matres regione venirent,
Nulla sitim potuit pueri compescere nostri :
Altera sed primæ successit, et altera deinceps
Inque vicem, medicis prohibentibus, ut male sanum
Inque salubre simul diversas sugere matres.
Sed medicæ leges valeant, quum venter inanis
Quumque enecta fame est natura, sitive laborat.
Hanc ego perspiciens curam matrumque laborem,
Mirabar quocumque pedes gressusque tulissem,
Non eadem nobis sese dare; namque per omnes
Vicinos pagos et agrestia tecta, suarum
Pingues et nitidos pendentes ubere matrum
Cernebam pueros. Qui fiat et unde roganti :
Jurabant illæ, nullis se cantibus usas
Carminibusve malis, usas medicamine nullo;
Non aliena peti nascentibus ubera natis;
Quæ puerum genuisset eamdem pascere natum.
Hæc mecum reputans animo, jam quærere cesso
Cur etiam infanti vix quattuor ubera nostro
Sufficiant, sua cur pueris vel mater abundet
Una suis, nec opem alterius siccata requirat.
Naturæ nec enim peccatum aut culpa sagacis
Ulla fuit : quæ cuique duas in pectore mammas
Appendit matri, geminis satis usque futuras

Appendit geminis; nam plures edere monstrum est,
Nec longum superesse solent : nascente paratus
Jam cibus est puero, fœtam nec copia lactis
Deficit, aut hominum in genere, aut ratione carentum.
« Nostræ deliciis matres in mollibus urbis
« Eductæ, cordi quibus est sua forma, libenter,
« Si possint, utero partum gestare recusent.
« Jam natis alimenta negant, albique liquoris
« Undantes scatebras, injustæ more novercæ,
« Restinguunt penitus, pulcherrima dona deorum,
« Ne macie corpus, ne rugis venter aretur,
« Ne suctu nimio, aut mollescant ubera tactu,
« Neu quum forte sedens noctem perduxerit unam
« Insomnem genitrix, exsurgat pallida mane.
« Tanto sollicitas color et cutis et decor illas
« Plus habet, infantis pueri quam vita salusque :
« Quem, simul editus est, patriis extrudere tectis
« Haud dubitant, alioque procul mandare, parentum
« Adspectu atque oculis crudeli more carentem.
« Non sic amandatur equus, non verna catella,
« Quæ semper dominæ, quoquo vestigia torquet,
« It comes, illiusve sinu festiva recumbit.
« Morte feræ funesta domus fit tota, minorque
« Non hic luctus erit, quam vel moriente marito. »
Talia principia atque ortus fundamina nostri,
Naturæ non sponte, nec æquo nomine jacta,
Multis deinde malis aditum causamque dedere,
« Ut parvi jam prima simul cum lacte bibamus

« Semina nequitiæ, quæ post se plurima fundunt.
« Hinc vel adulterio vetus immutatur avorum
« Progenies, raroque sui fert ora parentis
« Filius; aut si nulla toro est gravis illita labes,
« At melior natura tamen cum lacte bonique
« Mutantur mores, clarisque parentibus orta
« Virgo fit ancillæ similis, lasciva, procaxque,
« Ebria, saltatrix, et amans inhonesta virorum,
« Turpis, iners; sævusque puer, scortator, avarus,
« Illarum similis, quarum prius ubera suxit.
« Et natos miramur oriri sanguine nostro
« Degeneres, quibus immeritis materna premuntur
« Ubera, conductæ sua dant arentia servæ.
« Forsitan hunc primæ neglectum ætatis, adulto
« Corrigimus puero? quin et socordia major
« Cernitur in nobis, quo plus processerit ætas;
« Nec pater exemplum vitæ dat grandis honestæ
« Puberibus natis, nec sanctum adhibere magistrum
« Curat, at ignaros et quæ sunt optima nondum
« Cernere qui possint, jam lucri incendit amore;
« Nil opibus melius præclaris, deterius nil
« Paupertate docens homini contingere posse.
« Mater acu natam positos discernere crines
« Instituit, propriæque decus corrumpere formæ,
« Et capiti gemmas, aurum circumdare collo:
« Ducit et ad turpes nocturno tempore cœnas
« Pontificum, turpem depravatamque reducit. »
Sic mala, continua serie longoque sequuntur

Ordine, ut ex illo manent tamen omnia fonte,
Temporibus tam prima nocent peccata futuris.
Visne etiam ingratæ referam tibi præmia matris,
Et quam non impune ferat clausisse fluentes
Uberibus rivos alimentaque debita natis?
Conanti latices illi frigentibus herbis
Sistere, dispersos et in omne refundere corpus,
Frigidus et vehemens subito rigor occupat artus,
Tum mala consequitur febris, sævique dolores
Ubera discruciant. Multis lac cogitur intus,
Nequidquam pressis luctans erumpere mammis.
Inde tibi fœdo manabunt ulcera pure;
Et ni subvenias in tempore, quod fuit ulcus
Cancer erit subito, perque omnia viscera serpet:
Illum Pæonia frustra medicaberis arte,
Præscriptos regere aut intra conabere fines;
Quo mage stringis, eo spatii plus corripit ille,
Dum mentum et nares victor pervadat et ora,
Afficiat turpi languentem denique letho.
Hoc persuasa malo debes absistere mater
Turpibus inceptis, iramque horrescere divum,
Teque hominem meminisse, datamque à numine mentem
Aeriam celeremque animantum ex omnibus uni.
Sin libet ex brutis humanos discere mores:
Adspice quæ sit cura lupæ, vel quanta leænæ
Pascendis catulis, aliarum quanta ferarum,
Aut quam multa suis pro fœtibus aspera miscent
Prælia, quæ dubitent proprio tentare periclo;

Quanta deinde suos cum sollicitudine nidos
Ædificent volucres, quanto molimine, tutum
Quum cepere locum, parvas ex arbore celsa
Suspenduntve domos, cæcisve in sentibus abdunt,
Ne qua rapax avium teneros aut bestia pullos
Devoret, aut turdis inimicus pinguibus auceps;
Substernuntque solum paleis et gramine molli,
Et super ova cubant tam longo tempore, donec
Exclusi veniant fœtus in luminis auras.
Inde cibos parvis, et longe pabula quærunt
Dulcia, in os gaudent inhiantumque indere mansa.
Hic amor in sævis est tigribus inque leænis;
Nec jam ullum in terris animal agit illius expers.
Discite virtutem propriam, si vestra voluntas
Hanc refugit, nec quidquam hominis nisi nomen habetis
Et faciem, propriam virtutem discite matres
A brutis avibusque, immani a stirpe ferarum;
Aut illis hominis potius concedite nomen,
Vosque feras, quales estis, sic ferte vocari.

AD ODETUM
CARDINALEM CASTILIONÆUM.

Nempe suis, mi Castilio, qui nititur ipse
Præsidiis, nec totus ab hoc vel pendet ab illo,
Cujus vita fuit rebus moderata secundis,
Qui multos opibus sibi conciliavit amicos,
Nec miseros despexit in alta sede locatus,
Illius in tuto res est secura pericli.
Non is terrarum motus, cœlique ruinas,
Neptuni rabiem tempestatesque veretur,
Non iras hominum, non iras ille Deorum
Expavit; sed veste sua circum undique septus
Contemnit pluvias et mistos grandine nimbos,
Nec valde metuit fortes mutantia reges
Sidera, nec regum quæcumque minantur amicis.
Nam cur is lædi, qui nullos læserit unquam,
Formidet? nullos vivens sibi fecerit hostes?
Quare si quid ei belle minus accidit, illum
Omnes auxilio certant opibusque juvare,
Et dignas in amore vices præstare merenti.
Hujus multa rei nobis exempla vetustas
Suppeditat, præsensque dies, sed nota sequamur,
Gallia quæ modo mirata est, quæ vidimus ipsi
Virtutis præclara tuæ documenta, Jovis quum

Et furor, et magni premeret te casus amici :
Invidia arderes aliena, quis tuus ille
Vultus, quæ facies, constantia quæ fuit oris?
Ut neque dejiceres oculos, vocemque pudore
Comprimeres, fractis ut rebus sæpe solemus.
Ast alii nimia quibus ambitione laborat
Pectus, et invidiæ sudant præcordia flamma,
Dum ridet fortuna, coli se numina tanquam,
Nullum præterea socium patiuntur honoris;
Et neque ferre parem, nec possunt ferre secundum.
Forte alium salvere jubes, recteque valere?
Læsa est majestas, inter numeraberis hostes;
Et fortuna abiit, consurgitur undique densis
Agminibus, cunctæque tribus armantur in unum.
Illa infida cohors mentito nomine amici,
Deseruere fuga miserum, seroque videntem
Quid vero et quantum simulatus distet amicus.
Quam nobis faciles injusta videntur amici
Poscere, qui sibi sic animis et pectore toto
Junctos esse volunt, ut secum turpia laudent,
Secum iisdem pariter studiis odiisque fruantur,
Et sine lege colant, et ament sine fide pudoris.
Quam non ii divina tenent humanaque jura,
Quæ nos præcipiunt sanctum colere inter amorem,
Non brevibus spatiis et iniquo limite septum,
Sed quibus immensi fulcitur machina mundi;
Et quæ stultitia hæc socios admittere amoris
Nullos, atque solent stimulante libidine mœchi?

Nemo fuit Syllæ et Mario communis amicus,
Pompeiis et Cæsaribus, Brutisque superbis?
Haud pauci, mihi crede, fuere, utinamque fuissent
Plures: non tot Roma videret acerba suorum
Funera, tot cives indigna morte peremptos.
« Innumeris hominum est obnoxia vita periclis,
« Seditionis amans, et semper plena timoris,
« Plena metus ne præcipitem det amica ruinam,
« Cardinibus vulsis pars ne contraria vincat. »
Atque ea fortassis ratio cultoribus aulæ
Displiceat, qui vana magis quam tuta sequuntur:
Mi vero certum est colere omnes, omnibus uti,
Quamvis sint animis discordibus; haud tamen uno
Omnes metiri modulo aut conjungere causa:
Nobilitas alios fuerit mihi causa colendi,
Atque alios virtus, alios dignatio prima
(Quique ingens stimulus) quum nos sentimus amari,
Mutua quum paribus respondet gratia factis.
Omnia quæ fortuna prius cumulavit in uno
Te puero, crevere dein crescentibus annis.
Nam quid ego, quid, amice, tuum nunc dicere pergam
Expertus quem sæpe meis sum rebus amorem,
Aut ulli tua dextra roganti defuit unquam?
Quæ sit nostra vides, quam non addicta sequendis
Partibus ambitio; quæ si cui blanda videtur,
Attamen est sincera, doli expers, et sine fuco,
Teque habet auctorem, cui se non comparet ullus.

AD CARDINALEM LOTHARINGUM.

Scis tamen ista maris compendia semper amicis
Displicuisse tuis, vel mille pericula propter
Quæ miseri subeunt hiberno sidere nautæ;
Vel quod Massilia Romam tendentibus, omne
Littus erat plenum resonansque hostilibus armis,
Infesti Ligures, et agri dominator Etrusci.
Hæc te non audita semel sprevisse recordor,
Et monitis clausas habuisse fidelibus aures.
Conscendis navem, paulum progressa triremis
Stœchadibus, crebra proram feriente procella,
Cogitur in portum regredi reflantibus austris.
Hic prope te vomuisse animam cum sanguine dicunt.
Quid facias? rursumne maris discrimina tentes?
At jubet exspectare aquilones nauta serenos.
Longa mora est alio properantibus: et mare quisquam
Post aliquot soles placidum promittere possit?
Cessisti fatis correctus more paterno.
Ac veluti planis qui per saxosa relictis
Ire viam docuit, celeremque eludere Parthum:
Sic tibi servato pelagi terræque periclis
Ostendere alium præsentia numina cursum,
Ut discas audere magis ratione modoque,
Quam ferri quocumque animi vocat impetus ardens.

Multos sæpe duces patriæ nimis acre tuendæ
Et vehemens studium primis consumpsit in annis,
Dum sese incautos in aperta pericula mittunt:
Quorum consiliis hodie res salva maneret
Publica, nunc raptos alieno tempore luget.
Tu quoque Francorum spes maxima, CAROLE, gentis,
Promissis fraudare bonis, et munere noli
Nos spoliare Deum; noli spes vertere nostras.
Multa puer patriæ tribuisti, multa supraque
Ætatem, supraque virum, juvenilibus annis;
Sed majora tui sperant, et plura futuris
Temporibus, calidæ restincto ardore juventæ,
Si capiti canos adsperserit alba senectus.

Sunt qui præcipiant obeunda pericula nullo
Consilio, patriam spes sit modo posse juvari;
Et referre negent, labor ultimus urgeat ægros,
Nec possis nisi morte malis succurrere rebus;
An captetur honos, et inanis laurea tantum.
Sed ratio fortes audacibus, et male cautum
Separat a prudente viro, qui prospicit ante
Quatenus audendum, quæ mox eventa sequantur,
Collatisque duobus, utrum præponderet utri;
Ut dulcis ne sponte relinquat munera vitæ,
Si vilis res, si tenuis, si denique tanto
Ac tali pretio nec digna videbitur esse:
Contra, mille mori dubitet ne mortibus, ingens
Utilitas quoties, patriæve poposcerit usus.
Hoc Decii videre paterque et filius ambo,

Quique lacessitum dictis mordacibus hostem
Irasci, pœnasque reposcere ab hoste subegit
Ignoto, vilique toga decora alta tegente.
Illius interitu patriæ victoria parta est.
Nam fore victores populos prædixerat ante
Delius, in quorum cecidisset parte, cruento
Dux gladio, visusque duci tum parcere miles.
Sed neque Romano viguit minor in duce virtus,
Qui sese multis objecit millibus unum,
Mandavitque suis a tergo cædere pontem
Civibus, ut Thuscos aditu intercluderet urbis.
Multos Roma tulit, multos et Græcia tales :
Nomina non ignota tibi, quem nil fugit omni
Prorsus in historia. Quod si discrimine rerum
Sublato, nimia usque sui fiducia quemquam
Egit præcipitem, quamvis fors illius ausis
Faverit, ille tamen fortis mihi non erit unquam,
Qui maria et cœlum et terras contempsit, et hostem,
Cœlicolas ipsos, quorum manus ista gubernat.
Qualis erat dux ille, Tyri qui mœnia scalis
Admotis subiit nulli comitatus, et altum
Jamque tenens mediam saltu se misit in urbem.
Quem nisi servasset comitum metus, iraque fractis
Continuo foribus, pœnas tunc ille dedisset
Stultitiæ, plus quam regem decet ausus in armis.
En tibi nunc alius quem regni dira cupido,
Humanique sitis mala sanguinis impulit atra
Tempestate, marique agitato fluctibus, hostis

Inter præsidia, exili se credere lembo,
Et socios Itala cunctantes quærere terra.
Idem remigiis, et nondum a classe paratus
Pharsalici miseras properans extinguere belli
Relliquias, ab eo qui tum fuit obvius hoste
Occidi potuit, mens illi firma fuisset.
Hinc quoque digressus velut immemor ante pericli
Venit in Ægyptum, sine milite, solus, inermis,
Nautarum contis ubi pene, levisque tumultu
Oppressus vulgi, corruptis igne librorum
Millibus innumeris, vix tandem evasit, amica
Ægypti domina regnique hærede relicta:
Quorum etsi tantos felix audacia casus
Calcavit pedibus, non idcirco minus illi
Peccavere tamen. Nam mille quibus male cessit,
Mille aliis paucorum exempla revincere possum:
Ut tanquam in tabula videas temeraria sæpe
Consilia eventus miseros habuisse furoris.
Atque illos etiam paucis mutata diebus
Percussit fortuna: petitus uterque suorum
Insidiis, alio nova dum molitur in orbe
Imperia, ut lusisse deam mortalia credas,
Et velut in scena regum monstrasse triumphos.
Quæ non dicta mihi, verear quod ne male pecces
Ambitione: sed ille tuus mihi cognitus ardor
In patriam suspecta quidem facit omnia deinde;
Plaga recens factumque prope ipso in limine portus
Naufragium, nisi te servassent numina sancte

Quæ colis. Ergo diu, ante diu tecum ipse, prius quam
Aggrediare, videque, adhibeque, et consule amicos,
Et quid suscipias, et qua ratione gerendum;
Ne pigeat perferre moras, ne tuta viarum
Et longinqua sequi, brevibus quandoque relictis.
Hoc modo te superi monuere, rogamus amici,
Quorum te monitis nec bellum obsistere, et ipsum
Qui semel offendit turpe est offendere rursus.



AD FRANCISCUM LOTHARINGUM,

DUCEM GUISIANUM.

De duce Guisio e Latio sub cladem Quintinianam in Galliam redeunte.

Aut tu rem nobis convulso cardine lapsam
Unus restitues, primaque in sede locabis,
Aut certe nullis unquam fortuna resurget
Gallica temporibus, sed humi despecta jacebit
Æternum. Manet illa, manet te laurea, ductor
Maxime Francorum. Quis enim se comparet alter,
Quemve ducem potius rex tanto opponeret hosti?
Illius expulso nuper genitore triumphum
Egisti; pulso veniet par gloria nato.
Est illud vestro generi fatale, tuæque
Virtutis proprium magnos compescere fastus
Burgundæ gentis, quæ nunc sociata Britannis
Rege novo exsultans nostris in finibus agros
Præsidiis vacuos populatur et oppida carpit.
Ut conjux peregre redeuntem casta maritum,
Ipsa domi longo quum tempore sola fuisset,
Excipit amplexu tenero, volvuntur obortæ
Lætitia lacrymæ perque illius ora genasque,
Haud minus adventu rex ipse Erricus et omnis
Visa domus gaudere tuo: per rura, per urbes

Festa celebrantur plenis convivia mensis.
Ut sol exoriens concussas grandine silvas,
Depressos et humi flores, languentiaque arva
Erigit, et cœlum radiis terrasque serenat,
Sic perculsa gravi tu vulnere pectora plebis
Nobilismque animos reficis, speque arduus imples.
Et modo noster eques sævo concisus ab hoste,
Te rectore, diu non se fore sperat inultum,
Et spolia Hispanos ereptaque signa reposcit.
Hæc hominum de te spes vulgo est, irrita ne sit
Illa, vide. Permulta potes numerare trophæa
Hostibus a domitis, multos numerare triumphos,
Quos tamen una dies, unusque evertere casus
Et fortuna potest, laudemque abolere priorem.
Annibal et Pompeius item, duo lumina gentis
Quisque suæ, multas bello retulere coronas,
Collatis ausi toties decernere signis.
« Victus uterque, fuit documento quam nihil usquam
« Perpetuum solet in terris fixumque manere;
« Humanis quam nulla subest constantia rebus.
Quid, domitorem Asiæ Cyrum non una subegit
Fœmina, et abscissum caput illi sanguine mersit?
Nam cur ipse tuos exempla domestica ponam
Ante oculos? Cur Parthenopes tentata beatæ
Regna tuis atavis, infausto Marte, per annos
Centum continuos, Errici post quoque regis
Auspiciis ductuque tuo? Fuit exitus idem
Pene tibi, nisi quod servatus cum duce miles

Incolumis salvusque domum patriamque revertit.
Hoc ducis egregii prudentia fecit, ut illos
Quos adeo servare salus, nec si velit ipsa,
Posse videbatur, cunctos servaret ad unum.
Parva manus, sed enim gravibus defuncta periclis
Sæpius, et multos quondam perpessa labores.
Nec tibi prætermissa tui pars muneris ulla,
Tantum displicuisse Deo mihi causa videtur:
Aut nimia hæc, totum jam pene vagata per orbem,
Ambitio, aut cives aliquid peccavimus ipsi.
Si gaudet rerum vicibus fortuna, diuque
Stare loco nescit; si nos huc versat et illuc,
Arbitrioque suo spoliat, vel honoribus auget,
Idque aliis belli ducibus si contigit ante
Innumeris, tibi si contingere posse putabis,
Noli præteritis nimium confidere factis:
Neve feras cœlo caput altius, aut tumidum cor;
Neu metue eventus dubios tristemque futuri
Temporis invidiam, levis aut opprobria vulgi;
Sed quemcumque dabit finem Deus, accipe grato
Præsentique animo. Causas mortalibus esse
Ignotas voluit: tua sit modo culpa, caveto.
Quid si nec populo, quæ tot victoria votis
Expetitur, regi nec sæpe sit utilis ipsi?
Implevit variis Asiæ victoria Romam
Deliciis, et quam non Punica bella tot annos
Continuata prius, non regis et arma Philippi
Contuderant, peregrina severam perdidit urbem

Luxuria. Hinc cædes, et publica furta, rapinæ,
Direptæque urbes sociorum, et dira cupido
Regnandi in patria; civilia denique bella.
Insubrum capto duce nuper, et ubere campo
Felicis nimium populi, fœdeque peremptis
Helvetiis, Francisco ausis concurrere regi,
Plus damnique malique accepit Gallia, capto
Quam post rege suo Ticini ad fluminis undas.
Imperium Francorum et gloria nominis aucta est,
Sed mores abiere boni. Vix octo Loisi
Regis ab interitu numeramus lustra, fuisse
Dicas mille : viris tantum distamus ab illis,
Prima quibus tum cura fuit servare paternum
Prædiolum, servare larem vigilanter avitum,
Tum desideriis fines adhibere, modumque
Sumptibus, et proprio contentis jam nihil ultra
Appetere, et nullas vicino intendere lites;
Castra sequi, et pulchram bello sibi quærere laudem;
Raro in conspectum regis procerumque venire;
Scire nec obsequiis animos captare potentum,
Nec blando sermone mereri præmia regum;
Scire famem perferre, sitimque, et frigus, et æstum;
Scire equitem medio peditemque lacessere campo.
Horum de numero procedat si quis in aulam
Horridus, et sudore fluens, et pulvere plenus,
Quos istis auro fulgentibus, et bene lautis,
Commoveat risus! Ut præter sibila secum
Nil prorsus referat. Quid nos victore putamus

Æquius imperium aut melius sub rege futurum?
Pauci adeo reges fortunam ferre secundam
Æqua mente sciunt; et jam securus ab hoste
In sua rex strictum convertit viscera ferrum.
Sæpe vel incautos conficta calumnia reges
Auribus apprendit, turpisve inscitia rerum.
Arguitur sceleris villam qui forte propinquam
Hic habet, et videt usque sua quam regis amicus.
Ornantur testes, miseroque redempta parantur
Judicia. O saltem redimat se, Castoris instar,
Castoreo, et salva jactet patrimonia vita!
Sed vivis rerum dominis aliena tenere
Nec tuto se posse putant. Ea nos bona stulti
Ducimus, exitio multis quæ sæpe fuere.
Mille cadunt populis ducibusque incommoda victis;
Multo plura cadunt etiam victoribus ipsis,
Interitusque ferunt animorum et corporis una.
« Corrumpunt hominum felicia tempora mentes,
« Avertuntque Deo sensus, nec tollere cœlo
« Ora sinunt. » Quis enim lætis cœlestia rebus
Cogitat? adversis, quam sit miseranda monemur
Conditio nostræ, quam vilis et infima, vitæ.
Tunc opis humanæ dejecti præsidio, spem
Vertimus ad superos trepidi, veniamque precamur:
Mutamus mores. Ea nos via lenis in altum
Ducit, ubi sedes animis æterna beatis.
Miramur si quando preces non auribus æquis
Accipit, aut hominum reddit contraria votis

Sæpe Deus, durumque inclementemque vocamus.
Ut pater infanti puero si dira venena,
Sive micans ferrum, aut aliud quid forte petenti
Mortiferum, tamen ille neget, tibi durus et asper,
Non patrio indulgens potius videatur amori?
Ergo tu referre putas nihil, hostibus utrum
An gesti nobis accedat gloria belli?
Non ego. Sed primum jubeo nos quærere pacem.
Si pax nulla datur, nec conditionibus æquis,
Contestare Deos, invitum accingier armis,
Auxilioque voca. Non illi tempore longo
Numina passuri sua sunt contempta jacere.
Si necdum melior belli fortuna sequetur,
Rursus et aversi placanda est numinis ira,
Nec pecudum fibris, sed pura mente litandum est,
Sincerisque animis. Quum sit Deus optimus ipse,
Non amat ille preces, non impia vota malorum.
Tu plenus stupri plenusque libidinis intus,
Et furax, et avarus, et ambitiosus honorum,
Impetrare putas aliquid te posse, priusquam
Ablueris sacra vivi te fluminis unda?
Quem foribus templi sapiens arcere sacerdos
Debuit, atque reos inter plorare jubere.
Tu prima si luce genu curvaveris aras
Ante Deum, tibi deinde putas extrema licere
Omnia. Rideri non vult Deus, et videt intus
Quid tectum vel fronte geras, vel pectore clausum,
Et fictas odit lacrymas simulataque verba.

Jactabat legis studium Pharisæus, et ore
Decantata suo Mosis mandata ferebat:
Displicuit Domino; Manceps quia turpia coram
Lucra fatebatur, venia donatus abivit.
Nos etiam adversæ nuper quum nuntia pugnæ
Fama repens nostras inopinaque venit ad aures,
Consternati animis, quibus arma virique deessent;
Quumque putaretur portæ jam proximus hostis,
Ad delubra Deum confugimus, et prece multa
Suppliciter pacem veniamque poposcimus illos.
Continuit se quisque dies vix quattuor, hostis
Quum subito regredi, vel non procedere, fertur:
Ilicet excussa formidine protinus omnes
Ad vomitum redeunt et vitæ probra prioris,
Ut pueri lusum repetunt abeunte magistro:
Nunc peccant homines pejora prioribus illis,
Nec dilata putant, sed tempus in omne remissa
Supplicia, elusisque Deis impune, jocantur.
Hostis abit. Qui scis an vere ineunte redibit
Fortior et melior? Nobis sunt omnia victis
Inferiora. Ducis Roma Latioque remissi
Non feret asdpectum Germanus miles, et ora
Vertet ob os illius. Ea spe ducitur omnis
Gallia; nec quisquam est alius, quo fidere tantum,
Quove magis ductore animos attollere possit.
Verum multa cadunt inter duo tempora, multæ hoc
Ne duce pugnetur possunt exsistere causæ.
Aut quisnam Superum fatis iræque resistat?

Mutemus mores igitur, veniamque precemur;
Imprimisque Deos et tota mente colamus
Et totit animis: exin nos inter amemus;
Sit bene sarcta velut multorum gratia fratrum,
Nec minor alterius quam nostræ cura salutis.
Quæ si fixa animo penitus mandata geremus,
Mortes, exsilia, atque fugas, et damna bonorum,
Quæque solent alia adversis accedere rebus,
Haud magni faciemus: erunt neque tristia nobis
Aspera, nec vel amara nimis, vel dura ferendo.
Scilicet exstinctos merces uberrima cœlo,
Et promissa manent æternæ præmia vitæ.

DE CALETI ET GUINÆ

OPPIDORUM EXPUGNATIONE.

Sic mutat fortuna vices, et ludit atrocem
More suo ludum, nunc his, nunc æquior illis.
Nos adeo fusi, et magno certamine victi
Nuper ab Hispanis, fortes modo vicimus Anglos,
Ereptas patribus tandemque recepimus urbes,
Oceano in medio jussis regnare Britannis.
Illi cum lacrymis terra cessere retenta,
Possessaque suis atavis jam tempore longo.
Namque erat in fatis rediturum haud ante Caletum
Ad veteres dominos, quam se regina marito
Traderet externo, veterumque propagine regum
Posthabita, novus hic succederet advena regnis.
Ipse, Valesina venturum e stirpe nepotem,
Merlinus vates multo prædixerat ante,
Sanguinis ultorem nostri cladisque futurum
Cresciacæ, cecidit qua Francica pene juventus
Omnis, et exstinctæ sunt longa in tempora vires.
Non magis ille suis, quanquam verissimus auctor,
Creditus est, Trojæ Priami quam filia regis.
Quin etiam tantum his animi victoria duplex
Addiderat, tantus nostri contemptus, ut arcis
In foribus summis legeretur marmore duro

Incisum carmen (valet id sermone latino):
TUM DEMUM FRANCUS PREMET OBSIDIONE CALETUM,
QUUM FERRUM PLUMBUMVE NATABIT SUBERIS INSTAR.
Barbara vox, supraque hominum fiducia morem.
Sed neque tot circumductæ fusæque paludes,
Totque objecta vias passim castella per omnes
Præsidiis insessa virum, potuere morari
Nostrorum turmas equitum peditumque cohortes.
Ipse feros secum diversis partibus orbis
Adductos rapiens comites, sublimis in alto
Lotarenus equo, prius est conspectus ad urbem
Designare locum castris et cingere vallo,
Quam miseri cives illum potuisse putarent
Angustos aditus arctosque evadere calles.
Hic labor exoriturque novus majorque priore.
Murus erat latere e cocto firmissimus, alta
Incinctus fossa, verum post aggere nullo
Subnixus, lapidis jactu vix æquore distans;
In medio littus, Nerei quod proluit unda,
Bisque die refluo terris illabitur æstu.
Tum me ludentem nemo conchasque legentem
Viderit; at siccam postquam mare liquit arenam
Discedens, pedibus tamen hic consistitur ægre;
Nec patiens onerum locus est, et sæpius alte
Subsidet, injectoque fatiscit pondere tellus.
Hac regione, levi subjectis cratibus alno,
Exponenda fuit tamen omnis machina belli.
Ingens præterea suspectuque ardua turris

Missilibus portumque globis littusque premebat.
Omnia quæ tam multa ferox incommoda noster
Miles, et unius vicit ducis inclyta virtus.
Expugnata prius turris, mox regia muro
Juncta domus primos aditus patefecit in urbem.
Armatis data pax et inermibus; urbe relicta,
Illæsi cives alio concedere jussi.
At tu, Guina ferox, domini clementis et æqui
Audires potius leges et mollia jussa,
Quam rex experiare manu quid possit et armis.
Non tua nunc eversa soloque æquata jacerent
Mœnia; non domibus lapsis inducat aratrum
Agricola, inque novo sementem præparet arvo.
Quis furor, aut quænam rabies hæc, strage virorum
Non contenta, simul nisi totas hauriat urbes,
Integraque addictis cum civibus oppida sacret
Diis Erebi? Nuper Tervenam vidimus urbem
In Morinis, Edinique superbam vidimus arcem:
Vix in utrisque locis hodie vestigia parent
Tectorum; quæ sint fortassis in hoste ferenda.
Id vero, manibus propriis sua mœnia cives
Dejicere, incensasque faces supponere tectis,
Parcere nec patriæ, victor cui parceret hostis,
Quale fuisse putas? hominum magis, anne ferarum?
Sed nostris ducibus præclaro munere divum
Intentata prius cœlo victoria venit.
Quum mare, quum glacialis hiems, et quum vetus urbis
Gloria, quumque recens adversæ infamia pugnæ,

Et nimium fortunæ diu contraria, possent
Talibus, audaces quamvis, abducere cœptis,
Mens, Errice, tamen semper tibi constitit una,
Te solum referunt animos firmasse tuorum :
Scilicet ut regum cœlesti numine mentes
Impellique, trahique, Deis quocumque videtur,
Et quo mortales nequeunt pertingere sensus,
Addiscant homines : mirari cur ita fiant
Plurima, factorumque absistant quærere causas.
Ac Deus is, quicumque tibi fuit istius auctor
Consilii, monstravit iter, ducibusque præivit
Idem, Errice, tuis, donec res ordine gesta est.
Idem, multorum quum posceret æra dierum
Miles inops, et signa sequi se posse negaret,
Exhausto penitus belli per tempora fisco,
Hunc animum in patriam dedit, hanc tibi, Carole, mentem,
Ut tu vas sponsorque rei communis in urbe
Parisia biduo omne bonis a civibus aurum
Acciperes, quæ mox divisa pecunia fratri,
Morigeros comites et ad omnia jussa paratos
Reddidit. His opibus pulsi cessere Britanni
Littoribus nostris, maria ultra cærula ponti.
Quas ergo tot opumque Deo tantæque datori
Lætitiæ nobis fas est persolvere grates?
An delecta boum, pecudum vel corpora centum
Illius ante pias grati mactabimus aras?
An lætum pæana canemus, ioque triumphe,
Quodque solet dici victorum carmen honori?

Usurpata malis cultoribus ista Deorum.
Nos hanc gloriolam potius laudemque sinamus
Invicto fortique Deo : turgentia regum
Colla superborum qui proterit, et pede calcat;
Subjectos humilesque, ipsique accepta ferentes
Omnia, tollit humo supera ad convexa polorum;
Qui nos successu nimio rebusque secundis
Inflatos ideo castigat more paterno,
Casibus exercens variis, ne nostra putemus
Quæ nos ille frui secura mente sinebat:
Ut rerum et columen nostrarum spemque salutis
Privati regesque Deo ponamus in uno,
Nec fracti nimium, dura quum sorte gravamur,
Nec rursum elati, veniunt quum prospera nobis.

DE THEAVILLA CAPTA.

Ut gravis et senio confectus miles ad arma,
Quum patriæ res poscet, inutilis ipse, vocabit
Florentes alios, quantum contendere nixu
Et laterum et vocis poterit, seseque paratum
Ostendet ferro patriam defendere et armis,
Amissæ quondam superent in corpore vires:
Sic ego, cui tenuis puero, vel nulla facultas
Ante fuit, nullus scribendi carminis usus,
Et si quid fuerat, veniens tamen abstulit ætas,
Hortari assidue nostros haud desino vates,
Argumenta sibi præclaris sumere digna
Quamlibet ingeniis, patriamque ornare, virosque,
Sive pares illis, seu non virtute minores,
Quos aut Virgilius, quos aut cantavit Homerus.
Ni Danaos ea major erit laus, mille profectos
Navibus a patria, decimo vix segniter anno
Unam Asiæ cepisse dolis et fraudibus urbem;
Aut magnum Æneam Rutulos superasse colonos
Fretum opibusque suis, socialique agmine fretum
Arcadis Evandri, tria quam fortissima bello
Oppida ter denis, summum, expugnasse diebus.
Nec vero Phrygio conflatum milite molli
Præsidium intus erat; sed defensore Britanno

Guina tenebatur, celsique arx alta Caleti.
Hic quoque plus operis, Theavillam namque paludes
Undique cingebant, gelidique profunda Mosellæ
Flumina, delectumque ex omni milite robur,
Præstantesque viros incluserat urbe Philippus,
Quum Metis fabricas, et ahenea multa parari
Audisset tormenta, pilasque ex ære, simulque
Ingentem valde numerum mixti sale nitro
Sulphuris. Hæc secum haud frustra provisa putabat;
Hisque velut claustris sperabat, et obice tali
Nostra moraturum se jam gradientia campo
Agmina, dum vocat ipse suos male parcus euntes
Tardius, et segnes cogit sub signa maniplos.
Obsessi interea media plus parte suorum
Amissa, quum murum hostis turremque teneret,
Nostrorum, superest via quando hæc una salutis,
Permisere ducum fidei res, arma, virosque.
Omnia, quæ illorum precibus concessa benigne;
Et medici morbos curareque vulnera jussi,
Pertulerant toto cives quæ plurima bello,
Adjutique inopes et equis et navibus, utrum
Carpere iter mallent : tum si quis in urbe manere
Vellet et in patria, non ægre facta potestas.
Hæc demum insignis pietas, ea regia virtus,
Ut bello premere armatos, sic parcere victis;
Nec tam se fortes animi generosaque monstrant
Pectora, dum vertunt imis a sedibus urbes,
Complent cæde vias; nec tantum laudis ab illa

Strage domum referent, quam quum miserabile vulgus
Illæsum servant, illibatumque pudorem
Virginibus. Trahit hæc quamvis aliena stupentum
Corda virum, et sævos clementia mitigat hostes.
Ipsis sæpe suum facinus victoribus, ipsis
Displicet. Hoc iterum quam nolint vincere pacto!
Aut quis Marcelli, qui non audivit inanes
Corneli gemitus, admixtaque gaudia luctu,
Dum duo diversis regionibus oppida vertunt
Maxima, nec cohibere valent jam militis iras
Quin ruat, et rapidis permisceat omnia flammis?
Ipse ferus quamvis cædique assuetus Achilles
Vix, puto, vix teneat lacrymas, si versa videret
Pergama; si pulchris subjecta incendia tectis
Ante virum matres et matrum ante ora puellas
Prostitui, capita illidi puerilia muris;
Si nullo ætatis, nullo discrimine sexus
Per vicos passim projecta cadavera cernat,
Et captæ si quid gravius tum contigit urbi.
Nos unum et commune quibus nomen dedit una
Relligio, ritusque pares, moremque sacrorum,
Quanquam divisis cœlo terraque, marique,
Quanquam sub regum positis ditione duorum,
Nos tanquam fratres uno genitore creati
Complures, nos unius quasi corporis artus,
Indorum vel more Scytharum bella geramus?
Qui neque dicuntur pueris senibusve caducis
Parcere, nec tenera quamvis ætate puellis.

Ipsa, nefas dictu! captorum viscera torrent
Ignibus, et diris epulanda apponere mensis
Haud dubitant. Quin hæc potius crudelia, fratres,
Bella relinquamus, nostris contraria votis,
Bella adversa Deo : quæ si quandoque coacti
Suscipimus, bellum nobis cum fratribus esse
In mentem veniat, quibus æquum lege, paremque
Ac nobis, ipsi præstare jubemur amorem.
Hæc animo reputans, nec pacem poscere duces
Turpe, nec oranti pacem concedere turpe.
Ergo nec patria, nec regis nomine quidquam
Indignum fecit, puero qui nuper eunti
Traditus ad matrem ductor custosque fidelis
Conventu in medio sermonem injecit honestum
Æterna de pace prior, nec protinus hosti
Plus aliquid justo tribuit, fassusve timorem est.
Nempe aliud potius quid poscat et optet ab illo
Rege suo veniens, aliis qui regibus anteit
Omnibus, et pietatis habet cognomen in illis
Præcipuæ, quæ vox potuit magis ulla decere
Pontificem? Nimis ille ferox avidusque fuisse
Sanguinis humani legatus ab urbe videtur
Ad Pœnos Fabius, qui quum mandata senatus
Effari jussus Tyriis præsentibus esset,
Facto e veste sinu : Bellum hic pacemque tenemus:
Sumite de medio vobis utrumlibet, inquit.
Tu vero, acclamant, utrum placet elige. Bellum,
Effuso simul ille sinu, se tradere, dixit.

Mallem equidem pacem : non tot post nominis Afri
Italicique malo periissent millia letho.
Attamen est nostri sermo rejectus ab hoste
Pacificatoris. Quid, nos ignavius arma
Cepimus, ejecti spe pacis, an acrius, ipsos
Auxilio nobis sperantes affore Divos?
« Semper enim superi reges odere superbos,
« Supplicibus parcunt, pacemque petentibus ultro. »
Quid, qui præsidium capta dimisit ab urbe,
Emisit cives cum matribus atque puellis
Salvos incolumesque, fidem servavit, et omne
Præstitit officium caris quod suevit amicis,
Non tibi major erit, quam si jugulasset inermes
Armatosque simul, venum aut captiva dedisset
Corpora, et in cinerem vertisset tecta domosque?
Quare magnificis fratrum celebrandus uterque
Laudibus : ille quidem mihi semper et omnibus horis;
Huic servatori patriæ finesque regenti
Francorum veteres, vos o quibus aurea pleno
Egregii vates fundit se copia cornu,
Concinite æternos meritis pro talibus hymnos.
Nec tu, rex Henrice, tenax et parcus honorum
Erga illum fueris, tibi qui diversa trophæa
Hostibus a victis statuit duo maxima, paucis
Mensibus. Hic te rege fuit dignissimus uno;
Hunc fortuna ducem meruit tua. Respice quantum
Terrarum ditione tenes, quas finibus urbes
Ille tuis, quæ rura vel agros addidit : omnis

Oceanus tibi servit, et omnis ripa Mosellæ
Proxima Treveris, Germanique hospita Rheni.
Hoc duce, præterito recreati corda timore,
Incipimus sperare etiam, nos posse recentem
Adspersam maculam Quintino abstergere bello.
Dii te longævum nobis, Henrice, ducemque
Hunc tibi longævum servent, ut et ipse requiras
Exstinctum nunquam, et nec desideret ille.

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

En, virgo, tibi nobilium pulcherrima vatum
Carmina, nondum lecta mihi, quem muneris hujus
Ingrati, assidui, rixarum et litis alumni
Pertæsum bis quinque dies procul urbe foroque
Ruris amor tenuit, modo sunt oblata reverso.
Ne tu, ne facias ideo tamen illa minoris;
Neve puta precibus studioque urgentis amici
Victum, quod multis venit usu, hæc mittere nostra
Scripta manu, quo sis melioribus æquior illis.
Sed facile amplector, quamvis incognita, clari
Artificis quæcumque manu cælata feruntur:
Scilicet indulgens alienis, et magis æquus
Quam fortasse meis; at non obscura videbis
Nomina tu, neque primum hodie hoc exercita ludo,
Et tibi judicium, tibi doctas Delius aures
Præbuit, ac regale refersit pectus honestis
Artibus, eximiam raramque in principe laudem.
Tantum nulla decus tulit unquam regia virgo.
Innumeros hæc causa viros, ut condere carmen,
Utque suos vellent tibi consecrare labores
Impulit: hæc fuit iis scribendi causa poetis,
Virginibusque tribus vestigia pressa terendi.

Atque hic longinquis sua cepit prima Britannis
Aureus incrementa liber sermone latino:
Inde per Euripos et formidabile nautis
Invadens spatium, Belgas devenit et urbem
Parisiam, novus hospes iit perque ora manusque.
Res placuit nostris argumentumque poetis:
Continuoque alii materna vertere lingua,
Græca alii, atque itala; mox et nova jungere versis
Collibuit, justique voluminis addere formam.
Hæc ego, qui titulos inscriptaque nomina tantum
Carpsi; tu penitus relegendo cætera nosces.
Verum hic qui manibus tibi librum strenuus offert,
Alcinous comes est mutato nomine dictus,
Cujus fama volat totum dispersa per orbem,
Libertatis amans, numerandus et ipse poetis,
Quamvis potor aquæ, quamvis Acheloia Baccho
Pocula præponat, fontes et dulcibus uvis;
Egregius scriptor librorum, nobilis idem
Pictor. Quis bona tot, quis maxima speret ab uno?
Hujus cura fuit, diversis hæc quasi membra
Sparsa locis aptare, et cogere corpus in unum,
Quantum et quale vides, nec parcere sumptibus ullis,
Et tibi, Diva, tuoque offerre dicata pudori.

AD CAROLUM LOTHARINGUM,

CARDINALEM.

Usque adeo magnum est componere jurgia, tanti
Commissi tibi cura gregis fuit, ut mala cursum
Tempestas, nec posset hiems te sæva morari?
Nec dulcis regum convictus et aula suorum,
Quos semel est amplexa, tenax magis unguine pingui?
Scilicet interdum plenæ fastidia mensæ
Ferre solent, satiasque bonarum languida rerum est.
An vero postquam curasti publica recte,
Vis privata etiam neutrique deesse labori?
Quanquam nec Rhodani tibi visitur insula frustra.
Sed cur ista sequor, mihi vel quæ scire negatum
Scrutarive nefas? Tantum precor omne recurras
Hoc festinus iter, salvum recteque valentem
Adspicere ut possim, gelidæ sub tempore brumæ,
Et manibus dare mille tuis, dare et altera mille
Oscula, quot dulci nutricula præbet alumno.
Est tibi lecta cohors, docto solabere cujus
Et lepido sermone viæ cursusque laborem,
Sive placent nugæ, positis seu seria nugis.
Nil impono tibi, nolo esse molestus eunti;
Sed tamen in reditu, si flumine forte secundo
Navibus et tectis ad nos revehere, memento,
Quod mihi pollicitus discedens, aurea Catti

Scripta manu versare, simulque intendere mentem.
Labitur ille fuga celeri, torrentis et instar
Fluminis, eluditque moras somnumque legentis,
Ni præsens animo es, nisi sedulus hoc agis unum.
At tibi sordebit Cattus fortasse recenti
E veterum libris; sed enim nec spernere Fabrum
Te nuper memini, nec visus inutilis auctor
Nescio quis genitus trans Rhenum, aliique minores.
« Omnibus est aliquid fructus excerpere libris. »
Nec Deus indoctis sua non communicat olim
Consilia et rudibus; timida modo mente capessant
Sacrorum studium. « Nec enim divina superbis
« Deligit ipsa sibi pietas in mentibus ædem. »
Nec quisquam hæc tumidis transmiserit æquora velis
Increpitans Eurum, et motas aquilone procellas.
Comandum potius dextris et remige multo,
Orandumque etiam tensis ad sidera palmis,
Ut Deus errores hominum miseratus ab alto
Signet iter rectum; surdis expurget ut aurem,
Ut cæcis oculos : positam quo cernere metam
Possint, et Domini vocem exaudire loquentis,
Promissa tandemque potiri sede beatis.
Quæ si pressa teres hominum vestigia paucis,
Ne dubita, major veniet tibi gloria Cattis,
Major et Ambrosiis, major scriptoribus Afris,
Et clarum feries sublimi vertice cœlum.
Non exhausta Dei manus est; et qui dedit istis,
Vel tibi, vel majora potest dare, quum volet, illi.

AD CARDINALEM LOTHARINGUM.

Hos ego versiculos tibi jussi occurrere ad Alpes,
Usque vel Italiam, si tardius urbe profectum
Insula te nondum Rhodani velocis habebit;
Mandavique meis coram tibi dicere verbis,
Nil reditu nunc posse tuo contingere nobis
Gratius, et multam simul impertire salutem
Omnibus iis, qui se comites sociosque dedere
Pergenti Romam: primis quos opto calendis
Incolumes tecum in patriam salvosque reverti.
Non si dura gelu contractaque frigore membra
Alpino referes, nostris venientibus ad te
Continuo rigidas obtura versibus aures:
Quorum, si liceat, vice fungar laetus, et usque
Procedam Helvetios Rhetorumque obvius urbes,
Oscula quo manuum delibem prima tuarum.
Nam Ligerim Blesasque citato tendere cursu
Regis ad amplexus, longeque recedere nobis
Te video, semperque novas mihi temporis addi
Cerno moras, possim tua quo minus ora tueri.
Quam metuam fidi ac veteris tibi nomen amici
Excidat, oblitusque tuo ne delear albo,
Ni repetam absentes curæ tibi semper amicos
Esse, nec alterius valde monitoris egere!
Unum ut commemorem locus admonet. Annua nobis,

Tu meminisse potes, Longoli præbita morte,
Jus quoque supplicibus referendi scripta libellis.
Tum Blesis Erricus erat, quem scilicet ultro
Lætus adis, facilemque rogas non ante rogatus.
Rescivi factum ex aliis, ignarus et absens.
Sic operam et studium, sic et tua vendis amicis
Officia, ut nobis etiam fecisse videris.
Scis alios simulare operas et vendere fumos,
Sæpe etiam laudes alieni quærere facti;
Quæ res servilis tota est animique pusilli.
« Verum hodie laus est non ultima, fingere vultum,
« Et simulare probe; nec qui vel fallere nescit
« Mentirive, feret sapientis nomen in aula. »
Hæc quia divitias prudentia cogit et aurum,
Quæritur a multis; sed enim detecta malis se
Implicat innumeris, et pœnas denique solvit.
Quam vellent vixisse domi sub paupere tecto,
Contenti modicis opibus mensaque paterna!
Quæ si vita minus splendet, si rem minus auget,
Expers invidiæ tamen est, exsorsque pericli
Securo fruitur rerum quas possidet usu.

AD JO. BELLAIUM,

CARDINALEM.

O MIHI te qualem plectro fidibusque movendis,
Bellai quot sunt doctissime, quotque fuere,
Pontificum, ostendit nuper Macrinus (iter quum
Loduno facerem, docto comitatus amico,
Æmylii verum cui suaviloquentia nomen
Imposuit), lyricis Macrinus ad æthera notus
Carminibus fidicen modulandis, quum prius ista
Scribendi ratio prorsus neglecta jaceret,
Ante aliosque tibi merito carissimus omnes!
Nam quum sermo frequens nobis multusque fuisset
De magnis rarisque tuis virtutibus, illam
Addidit inprimis, ut maxima quæque foveres
Ingenia, atque bonis delectarere poetis,
Inter præclaros non ultimus ipse poetas.
Hic ego, qui pridem historiam te condere nostri
Temporis, et fraterna sequi vestigia noram,
Ponere et usque tuas studiis melioribus horas,
Subrisi: non quin de te omnia credere possem
Propter et ingenii vim summam et mentis acumen;
Verum ista gravitate viro, studiisque tot annos
Gnaviter impensis in publica commoda regni
Haud licuisse, vel in mentem venisse putabam

Velles ut levia hæc tractare et scribere versus.
Quid si illum, exclamat, summum egregiumque poetam
Ostendo? quid enim congesta negotia rerum
Naturæ officiunt generosæ? denique fortes
Sæpe viri quondam populos et magna regentes
Imperia ad dulces declinavere Camœnas,
Scribendis recreati versibus atque legendis;
Et simul attulerat quem secum forte libellum
Ipse sinu promit, titulus superadditus, odæ
Bellaii (varium, florens et suave poema),
Quem sic ex multis non uno tempore missis
Ad se carminibus, prius ut dispersa jacebant
Ordine servato nascendi fecerat unum:
Ut quisquis legeret, qua quidque ætate, quot annos
Natus scripsisses, subito cognoscere posset.
Audio Macrinum recitantem sedulus, audit
Æmylius, pro se virtutes quisque notare,
Quæ numero tot erant, quot versus et prope verba.
Suspicimus, faciemque in cœlum tollimus ambo
Attoniti; stupuit Macrinus non minus ipse,
Atque ea miratur tanquam sibi cognita primum.
Rumpantur reliquis præcordia sæva poetis,
Macrino excepto, et similis quicumque Macrini est,
Qui propter candorem animi tetra caret omni
Invidia prorsus, te diligit et colit unum.
Salve, Pieridum Musarum dulcis alumne,
Magnus constrictis pedibus, magnusque solutis

Auctor, eo vincens Ciceronem Virgiliumque.

Hæc ego scribebam medio tibi carmina cursu,
Lassus equo, lassusque viæ, solisque labore,
Quum premeret jumenta siti Canis, ureret agros.

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

Forte fuit tecum mihi sermo, diva, quibusdam
Privatis de rebus, uti post prandia mos est
Sublatasque dapes, aderatque Boesia mater:
Quæ quia materne te diligit et colit unam,
Idcirco meruit matris cognomine dici.
Utque, alia ex aliis, fit, mutua verba serendo,
Repserat ad nequam paulatim oratio servos,
Quorum se domibus profundit copia plenis.
Et mater fieri meliores posse putabat,
Asper si dominus crebro succenseat illis,
Perstringens te, virgo, levi mitissima tactu,
Quam nulli commotam ira videre ministri,
Nullæ unquam famulæ. Quanquam videre dolentem
Sæpius, inque oculis et vultu signa gerentem
Non æqui vitiis animi, si turpior ulla
Res subjecta oculis, si vox audita fuisset.
Hic tu, virgo (soles quo te laudare pudore
Quum laudem vitare nequis, te namque petebat,
Cui tu nota suis magis unguibus), est ita nempe
Ut dicis. Quid enim, quid apud te, seu bona nostra,
Seu mala dissimulem, tibi primis cognita ab annis,
O mater? Sic me finxit natura potentem

Irarum, ut quales alii plerique, nec ullos
Experiar subitos intra præcordia motus,
Ipsa nec a quoquam pœnas irata reposcam.
Nec si præclarum id cuiquam magnumque videtur,
Laudi continuo dederit mihi; scilicet arte
Quæsitum nulla, nulla ratione paratum:
Si quid habet laudis, naturæ debita laus est.
Hæc tu pauca fere solito moderamine vocis.
Nos videamus, utrum domui magis apta regendæ
Et melior sit tristis heri natura, minasque
Verberaque addentis peccantibus aspera servis;
An lenis, placida et moderata, tuam modo qualem
Fecimus, expertem irarum subitique tumultus.
Sed prius hoc, nisi te fortassis demoror, utrum
Hanc natura dedit peperitve industria pacem,
In quibus est animis. Nec enim sine felle creatum
Credibile est, sine bile hominem, nisi mente feratur
Plane captus, hebes, stolidus, rudis et sine sensu,
Eximiamve tulit naturæ munere laudem.
Quales in tantis animorum millibus inter
Tot natos homines pauci rarique fuere
Diis geniti, multum dea queis nascentibus aurum
Miscuit, atque animos finxit meliore metallo.
Quæ si præteritis conspecta diebus in ullo est
Vis animi irarum motus cohibere valentis
Sponte sua, facile est ut de te credere possim
Hoc etiam dono cumulatam. Tu quoque digna
Tam rara, virgo, naturæ dote fuisti.

Sin aliquid tu consilii rationis et affers
In medium, victamque doces melioribus iram
Cedere consiliis, tua laus est, maxima virgo,
Quamvis tu cœlum spoliaveris hac neque laude.
Sed labor est hodie cohibenda nullus in ira
Si tuus, at vero transactum respice tempus.
Ulla, vide, fuerint annis certamina primis;
Nunc assueta jugum subit ultro, prpnaque victas
Dat natura manus rationi serva magistræ.
Quod cupit in nobis, tumida quod fervet ab ira,
Quod sperat metuitque, acceptum est omne ferendum
Corporibus, quorum terrena et vilis origo est.
Nam simplex animi per se natura putanda
Unaque, nec temere casu mutabilis ullo,
Cœlestis, divina, suoque simillima forma
Auctori, felix nimium, nimiumque beata.
Jam si nulla forent animis commercia nostris
Corporea cum mole, tot exsors nostra malorum
Vita, quot impendent miseris mortalibus omni
Tempore, perpetuam capiat secura quietem.
Nunc tam dissimiles inter se res nova semper
Bella movent, utri tandem victoria cedat.
Altera servitio pars, altera nata videtur
Imperio. Quod si melior regnabit, et iram,
Et facile affectus alios compresserit omnes;
Sin oblita sui versa ratione sequetur
Agrestem dominam, laxasque remittet habenas,
Quas homini turbas, quantos ciet illa tumultus?

Quam fuerit multis obnoxia vita periclis?
Ergo ferum natura et corpus agreste regendum
Usque a principio, et sensim parere docendum,
Instar equi, dominæ rationi. Cætera prona
Experiere, modo a teneris assueveris annis.
Auctorum neque lecta parum monumenta bonorum
Profuerint, nec non modulantes carmina Musæ;
Quæ si quid vel durum intus vel agreste resedit,
Evellant penitus. Durum Plato jussit adire
Musas discipulum; sacris fuit ille peractis
Commodior. Certis Lacedæmone miles in hostem
Ferre pedem numeris certisque referre solebat;
Tum si quando fuga versos conspexerat hostes,
Compositis potuit deponere versibus iram,
Et dextras inhibere, cruentum et condere telum.
Quid, quæ provectum dicendo, et voce furentem
Acrius, a tergo revocabat fistula Gracchum?
Ipse foro quoties sublimis et arce Palati,
Post decimam, lassusque domum, tristisque revertor,
Sæpius ad numeros fugio, cantuque laborem
Dulcis et arguta solor testudine natæ.
Horum ingens est, virgo, tibi provisa bonorum
Copia, quæ nascens tecum simul ipsa tulisti,
Et quæ deinde tibi magno sunt parta labore
Et vigili studio. Nam pulsas undique Musas
Montibus et silvis, ubi quondam habitare solebant,
Desertisque locis, intra tua tecta coegit
Horrida barbaries, dirum exitialeque monstrum,

Vix hodieque tua pavidæ se veste tuentur.
Ut quum prædator nebula speculatur ab alta
Milvius in medio pascentes gramine pullos,
Quem simul ac videre, fuga se protinus illi
Proripiunt : mater fugientes excipit alis.
Ergo iis nil agreste potest considere tectis,
Quæ vates habitant, ad quæ fugere Camœnæ,
Non solum mollire hominum fera corda potentes,
Sed bruta et lapides, et non tractabile ferrum :
Si potuit manes cithara placare superbos
Orpheus, et summis deducere montibus ornos;
Si bonus Amphion lapides et saxa movere,
Et pulchram subitis accingere mœnibus urbem.
Jam quæ sunt aliis irarum semina, primæ
Quæque solent causæ tantos accendere motus,
Omnibus iis exuta cares : irascimur omnes,
Aut quia nos sperni miseros lædive putamus,
Præsertim gravis est quum injuria, nec leve damnum;
Aut aliis alias de causis sæpe movemur,
Quas levis aura ferat. Non est bene cœna parata,
Non bene conditi pisces, aut non satis unctum
Est olus, aut vino spumans effusa lagena,
Aut miseri cecidit manibus vas fictile servi.
Ergo quod subigit nos causæ et suscitat iras,
Mollities animi est, teneri, parvique, timentisque
Omnia, nec duros audentis obire labores.
Hinc homines prima extremaque ætate videmus

Irasci faciles, et quorum obnoxia morbis
Corpora, quique jacent afflicti rebus egeni.
Omnes præterea quos immoderata libido,
Aut aliqua desiderium vehementius in re
Exstimulat, subito videas prorumpere in iram,
Si qua injecta mora est, si quisquam tendere contra
Audeat, et cupidis illorum obsistere votis.
Tu facile iis, virgo, tantisque parentibus orta,
Et magni soror, et magni quoque filia regis,
Tot propriis radians virtutibus ipsa, tot artes
Egregias instructa, quibus fers nomen Olympo,
Ut careas titulis et magnæ stirpis honore,
Contemptu possis hominum te, virgo, tueri,
Et longe præstes æqualibus una puellis.
Nam quæ damna bonis veniunt iis, quæ bona vulgus
Ducit, divitiis, opibus, gemmisque eborique,
Non pluris pensare soles, quam vile putamen
Juglandis stipulasve resecta messe jacentes.
Quare nemo tibi gravis est, nihil ista moranti;
Quamvis perdiderit, quamvis everterit ille
Imprudens abacum, dominæ non sentiet iras.
Forsitan id commune aliis quoque regibus, aurum ut
Despiciant et opes nimias facilesque paratu.
Hoc proprie, regina, tuum, quod nulla voluptas,
Nullus amor turpis vestigia casta moratur.
Victrix per medios, o virgo, libidinis ignes,
Per medias intacta faces ad sidera tendis.

Ergo sub domina requietis amante ministri
Pacifici, bene conveniens domus, absque tumultu.
Non etenim plagæ, non lorum et vincula servos
Correxere malos; latebras sed quærere furtis,
Et peccare docent, et fallere cautius. Atqui
Flagitium est, quamvis infamia nulla sequatur;
Nec si quis latuit fur non est improbus ille.
Sæpe data melior venia fit servus, amansque
Tam mitis domini. Quid enim? facere incipit ultro,
Quæ prius ingratis et iniqua mente solebat.
Nec recte monuit, quisquis fuit ille poeta:
« Fac timeant servi, reverentia deinde sequetur. »
Verius hoc; «Quem quisque colit, reveretur, honorat.»
Illius os porro metuet nutumque tacentis,
Nec dominum cupiet tam fallere, quam bene gratum
Prodere se, memoremque remissæ ostendere pœnæ.
Atque in privatis non forsan inutilis illa
Cogendi ratio sit, ubi servilia cernes
Ingenia, et tanquam tardos, nisi pungis, asellos.
At vobis quæ quotidie generosa ministrat
Nobilitas animum, laudis pulsatur amore;
Dedecus, opprobriumque, ignominiamque veretur.
Est quoque non ipsis tantum clementia servis
Grata, sed iis etiam quorum est inclusa medullis;
Qua freti, capiunt æternam luce quietem,
Nullaque per noctem pavidos insomnia terrent:
Qualis vere novo zephyris spirantibus aer,

Aut freta quum nullis agitantur cærula ventis:
Qualem mane tui, qualem te vespere cernunt,
Uno et perpetuo vultus animique tenore,
Sedatam, comem, placidam, similemque dearum.

AD CAROLUM LOTHARINGUM,

CARDINALEM.

Quam te nostra diu præsentem Gallia vidit,
Mutus eram; nunc sum cornice loquacior atra,
Obtundoque tuas absurdis cantibus aures.
Scilicet excussi te pravum absente pudorem.
Non mihi, non unquam tu longa silentia posthac
Objicies, post ne similis te pœna sequatur.
Languenti quondam solisque viæque labore
Alcidæ somnum ranæ impediere palustres:
Illum orasse deos iis vocem demere, mutas
Seriphias perhibent ex illo tempore ranas.
Me tu quando voles, pergam si forte molestus
Esse tibi, verbo potes uno reddere mutum
Pisce magis. Fruar hoc scribendi munere lætus
Interea, doctamque feram non optima Romam
Carmina. Tune etiam Philomelas Gracule cantu,
Mercuriumve lyra, citharave lacessere Phœbum,
Denique Romanis coram hiscere vatibus audes?
Non ego. Nam quis amat sua scripta minusve laborat
Ut placeant aliis, hominumque per ora ferantur?
Nolo meis alios nasum torquere legendis,
Nolo Latinorum, nolo fastidia vatum
Dura pati. Tu nostra legas, tu solus amesque.

Tantum ne externo mutaveris, o bone, cœlo
Judicium, retineque tuæ constanter amores
Et genium patriæ; suetos ego tempore longo
Ne mutare senex numeros et carmina cogar,
Iratusque novas addiscere ne cocus artes :
Nam Roma nec vir, nec equus melior redit unquam.
Huic duræ trivere pedum vestigia cautes
Alpibus in summis Apenninoque nivali;
Illum Romanæ penitus mersere puellæ
Deliciis, miseroque animam viresque tulere,
Ni sapiens aliquis ceratas obstruat aures,
Sirenumque dolos occultaque retia vitet.
Nota vel historia est cui non vel fabula Thusci
Scriptoris? nostræ qui relligionis amore
Captum nescio quem recutitum fecit euntem
Romam, ut purpureos patres ipsumque videret
Pontificem : ratus esse domum pietatis in urbe
Præcipuamque Deo sedem. Quo denique postquam
Venit, multa videt secus atque putaverat ante,
Quæ non mutavere tamen. Jam cætera nosti.
Illius exemplo, melior vel cautior ad nos
Non exspectato quamprimum vere redibis :
Quanquam hæc sæpe tibi vitata pericula nullum
Intentare metum, vel fraudem nectere possunt.
At tua non experta cohors vestigia caute
Omnia collustret, posita ne turpiter olim
Ut liberta meretricis barbaque comaque
Excutiat risum spectantibus. Illa memento

Illa tuis prohibere animorum cæca furentum
Vulnera, quæ multis olim nocuere superbis
Ingeniis, opé se humana dum posse tueri,
Aut aliqua magis arte putant, quam munere divum.
Impia nam tota dominatur in urbe Mathesis,
Chaldæi volitantque domos atque atria circum;
Tempus ab iis, certusque dies, horæque petuntur,
Et fortuna salusque hominum dependet ab astris.
Sic translata Deo rerumque hominumque satore,
Omnis ad expertes animæ res gloria transit.
Quidam animos etiam pariter cum corpore nostros
Interitum sentire volunt, unaque resolvi,
Et veteris promissa novæque uberrima legis
Vana putant: ipsum patriis detrudere regnis
Si possunt Dominum conentur more gigantum.
Has devota Deo, librisque exercita sacris,
Insidias bona mens rapidis prætervolat alis.
Nec tua dextra, fuit multis quæ sæpe saluti,
Auxilium miseris lapsisque errore negabit.
« Pastoris vigilare boni est, dominoque valentes
« Et salvos præstare lupis ab edacibus agnos. »
Hæc tibi sum paucis aggressus scribere, non quo
Non ea tu melius videas et acutius et me
Et quocumque alio. Quid enim sus crassa Minervam?
Sed me stultus amor raptim meus ista subegit
Deposito mandare tibi præcepta pudore.

AD BART. FAIUM,

SENATOREM PARISIENSEM.

Prime senatorum, nostri successor et hæres
Ordinis atque loci, veterem ne sperne sodalem,
Et ne sperne tui consortem muneris olim.
Non quia privatum me nunc Rhamnusia fecit,
Continuo salibus privavit iniqua jocisque;
Vivo, jocor, ludo liber, curisque solutus,
Confestimque recens a somno carmina condo.
Amissos nobis ita fors pensavit honores.

AD JANUM BELLAIUM,

CARDINALEM.

Nunc canas hiemes adspergit Juppiter agris,
Arboribusque vehunt rigidas nunc flumina crustas:
Horrentes linquamus, amici, frigore campos,
Et celeri tepidam cursu fugiamus in urbem;
Et tu, Jane, simul, febris plus annua cujus
Imminuit vires et debile corpus, abibis
Mature, Musasque valere jubebis et anni
Principium venientis, et aurea tempora veris,
Et repetes urbem, carisque frueris amicis.
Illinc si qua dies illustri sole nitebit,
Rura suburbanasque domos excurrere tuto
Securusque hiemum poteris : post Martius annum
Incipiens te rursus in hæc secreta remittet.
Sed quis tam subito casus, quæve ista voluntas,
Ecquod consilium nobis te, magne sacerdos,
Eripit, ut veterum jam pene oblitus amorum,
Nobilis et fani, quod summo in vertice collis
Altius exsurgens subjectis imminet undis,
Oblitus regis fluviorum, oblitus et urbis,
Ædificare novas alieno tempore villas
Instituas, oculis hominum procul, inque remotis
Desertisque locis? Atqui monumenta Neronis

Instaurare libet; sed enim melioribus optem
Auspiciis. Et quid vestra cum gente Neroni?
At nemora hæc Druidæ quondam tenuere, dabantque
His responsa locis, et passim multa Latini
Nominis hoc integra manent vestigia tractu:
Hæc etiam Dryades percurrunt avia Nymphæ.
Quin tu res senio longaque ætate sepultas
Desine sectari, et dubiæ præconia famæ:
Hæc potius quæ certa et quæ præsentia cernis
Delige, nec fera tam vel agrestia pectora Musis
Esse puta, ut saltus atque invia lustra ferarum
Cœtibus anteferant hominum. Tu maximus auctor,
Tu princeps Græcis pariter, pariterque Latinis
Æternam sedem Musis Phœboque dicasti
Pene in conspectu atque ipsis sub mœnibus urbis.
Scilicet is septos sinuoso flumine campos,
Frondosas valles, et summis collibus aras
Impositas, duroque e marmore condita templa,
Parisiumque solum, certosque relinquet honores,
Finibus ut vastis Carnutum inglorius erret;
Aut Agrium Lorumque duos sine nomine rivos,
Navigero Sequanæ aut Campano præferet amni.
Non si carminibus tantum contendere possis,
Quantum aut Threicius vates, aut Pindarus, illum
Inde tamen revoces, veterique excedere cogas
Hospitio; non si promittas aurea tecta,
Auratasque fores, centumque ex ære columnas,
Et lucum Daphnes: Musæ tamen usque sequantur.

Quid, teneras tu credis agresti carmine Musas
Malle coli, et manibus fortisve rudisve coloni,
Quales Clodia fert, quales et Perchia multos,
Quam fidibus numerisque, et nobilis ore poetæ?
Pone igitur studium migrandi, pone laborem,
Et longam nova condendi prætoria curam.
Nam quæ est ista ætate domum mutare voluptas,
Et transferre lares, capta velut hostibus urbe,
Expulsisque alios aliis submittere amicos?
Aut si stat fixumque manet traducere vitam
Sedibus in patriis, et me simul accipe tecum:
Nam sine te verum est nusquam me vivere posse.

AD SALMONIUM MACRINUM.

Si videas, Macrine, cupis quæ nostra videre,
Haud te pœniteat menses caruisse, vel annos
Versibus his, qui me circum imprudente feruntur;
Quosque libens retraham, si res integra fuisset.
Nam nihil exspecta Musis vel Apolline dignum,
Sed neque Macrino, teretes cui Cynthius aures
Formavit, veterumque auctorum lectio multa:
Quum tu præsertim sis maximus usque poeta,
Et versus facias ita, nemo ut pangere versus
Dicatur melius. Quanquam es mihi cognitus olim
Non asper, non difficilis, non durus amicis:
Quales permultos tulit ætas nostra poetas,
Qui sua commendant, rident aliena superbi,
Seque putant solos frumentum pascere dignos,
Propter nescio quid splendescens litterularum,
Quod semel atque iterum resonanti prodiit ore,
Præstrinxitque oculos rudibus, nondumque peritis,
Tanquam qui solis nequeunt perferre nitorem.
Sic prima specie sine longo fallimur usu,
Istos dum pariter quoque cætera posse putamus;
Nec discrimen opus longum et breve ponimus inter.
Nam quæ laus inventum aliquid fortassis acute
Acceptumve aliunde, elegis clausisse duobus?
At qui sic faciunt, regum celebrantur in aula,

Et tanquam artifices præclari cornua tollunt.
Non hæc æternam ad laudem via trita Maroni,
Non ista ratione alii crevere poetæ,
Vera quibus magnis accessit gloria factis.
Scilicet et pridem non carmine notus ab uno
Perpetuum, Macrine, decus laudemque tulisti.
Sed nec longa queunt audire poemata reges,
Nec possunt præbere diu recitantibus aurem,
Propter ab innumeris immensa negotia rebus.
Ex quo magna latent, multoque subacta labore
Ingenia, et veræ virtutis gloria rara est.
Nunc ad me redeo, quem tu tria dicis habere
Pectora, vel triplex circum præcordia robur,
Ut diversa duo reddam feliciter unus
Scribendi genera, et meme in contraria vertam
Judicis interea fungentem partibus æqui.
Quod si persuasum penitus fixumque resedit,
Nam cur te simulare putem, cui candida mens est,
Nec falsi causa est fingendi carminis ulla?
Gaudeo me tibi primum, et per te deinde probari
Omnibus, atque alios fero tecum errare libenter.
Sed non usque mihi tam parva conscius in re
Blandior, ut de me potius tibi, quam mihi credam;
Quum me cognoscam penitus, tu plurima nostra
Ignores vitia, ac cupias celare tegendo.
Accepi, fateor, natura semina quædam
Præclara ingenii, scribendis versibus apta,
Quæ non spernendos potuissent edere fœtus,

Hujus si studii mediocris cura fuisset;
Sed quum judicium ætas immatura negaret,
Monstratam genitore viam, quæ prima, secutus,
Continuo Musis aliena volumina verso,
Et nondum natas meditor componere lites.
Inde forum traducor, et ad subsellia plena
Pulveris et strepitus. I, nunc, et, maxime vatum,
Si potes, in tanto versus compone tumultu.
Rursus in antiquam revocat natura palæstram,
Et me conatur desueto reddere ludo.
Sed miser in diversa trahor, fugioque laborem
Scribendi exacte: sic dum non pervia tento
Et neglecta diu, rudis imprudensque relabor
In genus hoc humile et summissum, repit humi quod,
Nec vulgi sermone procul distare videtur;
Et quæ mox pueri subsannent carmina condo.
At vos, progeniti quondam melioribus astris,
Læta quibus largo se fundunt otia cornu,
Carmina felices regum memorantia pugnas,
Sive aliquid majus, pleno cantabitis ore,
Quæ ferat in cœlum proles ventura nepotum.

LIBRI TERTII FINIS.

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBER QUARTUS.

****

MICHAELIS
HOSPITALII
EPISTOLARUM
LIBER IV.

AD VIDUM FABRUM.

De amore et ignoratione sui.

Mortales animos agit ignorantia rerum
Turpis, et infantem jam sera ætate reliquit
Infelicem hominem, ut se profecisse parum, vel
Nil potius multos adeo quum vixerit annos
Sentiat. Id vero est quod vulgo dicitur esse
Humanum peccare, velut nascentibus olim
Perpetuum nobis comitem natura dedisset
Stultitiam, erroremque animi sine fine vagantis.
Qui mala quod nobis adportat plurima secum,
Propterea illum omnes a se depellere tentant;
Propterea vulgo varias addiscimus artes;
Imberbes pueros idcirco trans mare nostros
Mittimus; idcirco mercatus et fora circum,

Frigoribus magnoque suæ discrimine vitæ,
Ut discant vitare dolos simulataque verba
Alterius; discant temere non credere cuiquam,
Sæpius insidiis aliorum et fraude petiti.
Hæc est quam vulgo facimus prudentia, tanti
Adquirendarum præclara scientia rerum,
Utilis augendis, servandis commoda rebus,
Fraus et calliditas, potiusque astutia quædam.
Quid vero prodest multorum noscere mores,
Præsentire dolos, hominumque resistere posse
Fraudibus, externoque tueri corpus ab hoste,
Si tu te ignoras, si tecum vivis, ut hospes
Gadibus extremis nuper qui venit in urbem;
Si tu sponte tua manicas et vincula nectis
Ipse tibi demens, si tu te decipis ipse?
At non ille quidem sapiens, qui natus Athenis,
Quem deus in multis sapientem millibus unum
Dixit, laudem alio tantam quæsivit in orbe,
Non procul in Bactris et claros solis ad ortus
Nuda sua exercent ubi corpora Gymnosophistæ;
Sed qua natus erat, qua porro eductus in urbe,
Ædibus inque suis, immo magis intus apud se
Quæsiit, invenitque viam virtutis, et illud
Egregium merito est sapientis nomen adeptus.
Nec vero est alio rectore ususque magistro,
Quam sese genioque suo, quem dæmona dixit.
Sic regem fecisse Numam, sic ante Lycurgum,
Sic alios memorant heroas; qui sua semper

Consilia ad majus referebant numen, ut esset
Major honos, majorque suis reverentia dictis.
At nos stultus amor, turpisque inscitia nostri
Mille malis cæcos involvit et implicat ultro,
Ut nec vera sequi liceat, nec vera tueri,
Nec facile invenias qui se peccasse fatetur.
Ut si quis magno jubeat quandoque theatro
Fabros artificesve alios consurgere, summum
Tollere vel digitum, nemo consurgat opinor
Præter eos tantum quos præco surgere jussit.
Jusserit idem omnes sapientes surgere, nemo
Sede sua maneat, nemo non erigat alte
In cœlum caput, et numerari nolit in illis;
Atque adeo vitio hoc hominum pars magna laborat.
Nulla quidem Scythicis tam barbara natio terris,
Quæ se non meliora sequi non optima credat,
Cui sua non summe placeant, quæ denique leges
Permutare suas alienis legibus optet.
Nec res usurpata hominum minus ulla querelis
Ad superos, precibusve minus votisque petita,
Quam dono concessa deum sapientia; tantam
Unusquisque sibi divino e munere partem
Adrogat, et tanto sese dignatur honore.
Qui modo ludus erat pueris, et nota per urbem
Fabula; quem risit conjunx, risere ministri,
Ipse domi plaudit sibi solus, seque tuetur,
Ac si præcipiti vicisset Olympia cursu,
Contentusque suo tanquam meliore videtur

Judicio linguam, atque alienas spernere voces;
Interea nullus toto est in corpore sensus,
Nulla mali vel suspicio vel cura latentis.
Tantus amor, tanta est animis fiducia nostri.
Miretur reges nemo peccare, quibus tot
Peccandi auctores, tot causas esse videmus.
Natus Pannonia Cæsar dictare solebat,
Conveniunt multi nebulones et parasiti,
Unum ut decipiant nil prorsus tale verentem,
Securum, incautum; non restitit ipse duobus
Alcides; qui si tulerint quandoque repulsam,
Non ideo repetunt minus acres prælia, donec
Victus ad extremum dare tandem cogitur arma.
Tantum continuæque preces repetitaque verba
Sæpius, inculcata diu, variasque per artes
Argumenta valent. Quanto magis esse cavendum
Nobis, quorum obsessa tenet præcordia fallax
Et blandus monitor; qui tot se vertit in ora,
Protea quod prohibent varias mutasse figuras.
Præsto semper adest, et vellicat improbus aurem
Assidue, nec finem ullum facit ante monendi,
Quam specie utilium persuasit turpia nobis.
Hic Laertiadæ quondam persuasit Ulyssi,
Suspensam sterilis patriam de vertice saxi
Innumeris præferre bonis vitæque deorum.
Hic Paridem Phrygium Veneris postponere formæ
Virginis intactæ cœlestia dona subegit,
Dedecus et probrum patriæ præferre saluti.

Hic tentare Jovis thalamos, ausumque pudicam
Attrectare deam, stuprumque offerre maritæ,
Fecissetque etiam nisi nubis falleret error,
Perdidit; et claros imitantem fulguris ignes
Nimborumque sonos vero Salmonea telo
Perculit, ac justas exegit in Elide pœnas.
Hic Crassum jam grandem in Parthos ire coegit;
Castra sequi Niciam, et sonitus audire tubarum;
Annibalem castrensi urbana negotia morè
Et forti regere imperio, vimque addere jussis;
Et juvenem Phaethonta deorum invisere sedes
Æthereas, patremque regendos poscere currus;
Teque malos, Mævi, te duros, Cherile, versus
Condere, et invitis modulari carmina Musis.

Longum sit memorare quot et quibus obfuit olim
Falsis dissimulata modis inscitia rerum,
Usurpata etiam non veræ gloria laudis.
Nec vitium in terris proserpere latius ullum
Cernitur; imbuti falsis erroribus omnes,
Et tumidi bufone magis ranaque palustri
Audemus naturæ ipsi condicere bella,
Qualia terrigenas movisse est fama gigantes.
Haud procul at Nemesis sedet ultrix dira malorum.
Continuo subiti casus variique sequuntur
Et rerum et vitæ discrimina mille; nec ipsos
Auctores modo, verum alios quoscumque voluntas
Adjunxit comitesve dedit fortuna, videmus
Una omnes cadere atque involvi sæpe ruina,

Multas et lugere suis cum civibus urbes,
Multa queri male se furioso credita regna.
Quod si tum non ille sui deceptus amore
Ausus plus aliquid de se sperare fuisset,
Cum caris hodie florens et lætus amicis,
Integris opibus securum transigat ævum:
Omnes et pariter quos secum traxerat idem
Casus, et accepto careat respublica damno.
Quid doctos aliud credis voluisse poetas?
Quid narrata vel hæc, vel fabula denotat illa?
Dum vitreo se fonte videt Narcissus, et ardet
Protinus adspecta florentis imagine formæ.
Quæ res exitio fuit illi, atque omnibus olim
Semper erit, similis quoscumque agitaverit error.
Fac, nihil hujus stultitiam vel publica contra
Commoda vel privata nihil peccasse, quod ipsi
Nemo dedit patriæ tutelam, nemo salutem
Credidit. At quantos dabit omni tempore risus
Quum se virtutesque suas ad sidera tollet?
Pone tibi ante oculos vultum faciemque Thrasonis
Ventosi, et partes sese jactantis in omnes:
Tum risum si forte potes compesce labello.
Quid si illum audires fidibusque et voce canentem
Cornicis vetulæ instar, vel rudentis aselli,
Aut quamvis aliam quum tractat nescius artem?
Quid ficti si vox malefida accessit amici
Quæ foveat vitium, juvet impellatque ruentem?
Id vero perridiculum de rebus agentem

Ignotis, tanquam præstantem audire magistrum
Unum aliquem de porticibusve scholave Platonis.
Sed quum aliis odiosa sui laus atque molesta
Omnibus esse solet, tum nulla molestior illa est,
Quam si forte omnis sensus rationis et expers
Mens fuit, et vitium nulla virtute levatur.

Atque hunc ut ratione queas depellere morbum,
Causa prius tollenda mali, tum cætera prona
Experiere, modo studium si intenderis omne.
Imprimis curare tuam rem, teque memento,
Expurga vitiis omnique libidine mentem;
Omnis in hoc tua cura, labor quoque sit tuus omnis:
Dum spectans aliena sedes, tua negligis intus,
Subruit interea murum portasque refringit
Prædo, et divitias abiens adsportat avitas,
Incustoditumve lupus prædatur ovile,
Aut thalamo securum accepit adultera mœchum.
Scilicet Æsopi docet id nos fabula, peras
Quæ gestare duas hominem confingit, et unam
Ante oculos pectusque, aliam propendere tergo
Posteriore. Dolos peccataque nostra remotis
Condimus in loculis, nec condita visimus unquam;
Anterior plena est alieni criminis intus,
Et semper nobis lætabilis obvia semper.
Quod si retro oculos et retro flectimus ora,
Ingentes scelerum nobis ostendet acervos
Mantica posterior, pro centum millia centum,
Pro nævis lepramque dabit turpesque lichenas.

Ne posthac faciles simus reprehendere quemquam,
Et ne parva ipsi faciamus nostra tegendo,
Consule deterior meliorem consule amicum;
Tantum absit pudor ille malus, commissa fateri
Qui vetat, et fido præsens exposcere amico
Consilium, mandare alii non cognita nobis.
Ipse tibi satis unus eris quoque, purius illud
Ingenii lumen rebus præferre gerendis
Si statues, ne corporea quæ nubila mole
Exsistunt, diæ corrumpant lucis honorem;
Si tibi divina fuerit virtute voluptas
Posterior, solidis si fluxa pecunia rebus.
Sic introspiciens turpi secernere honestum
Disces, et quæ sunt vere bona, quæque videntur,
Nec sunt, judicio atque notis distinguere certis;
Quid possis aut non possis, cui fecerit aptum
Te natura minusve rei, cui longior usus:
Sic pelles externa regesque domestica victor,
Nec fallent alii, nec tu te denique falles.

SATYRA.

Æquius ad postem clavis figantur acutis
Corrupti mores, et turpis vita nocentum,
Quam sanctæ leges inventaque jura saluti :
Quæ tamen ipsa palam in triviis, ut noxia, figunt,
Quum potius mores et prave facta deceret.
Sic etenim Stasimum de moribus illius ævi
Inducit longo Plautus sermone querentem :
O mores! alius, mores! exclamat ad usque
Sidera et ardentis convexa palatia cœli.
Quod si temporibus illis quicumque fuere,
Quique alii deinceps vixere sequentibus annis,
Exsistant hodie, videantque hæc tempora miris
Depravata modis et plane perdita, quid sint
Dicturi, quibus usque adeo sua displicet ætas?
Partibus innumeris nam quum respublica constet,
Quo tu cumque feras oculos et lumina mentis,
Sincerum nihil invenias in corpore tanto,
Nullum peste vacans, nullum sine vulnere membrum :
Contra, sed fragiles nervos, vacua ossa medullis,
Infirmos artus, et membra fluentia luxu.
Haud alio quoquam tam parvo in tempore morbo
Certior interitus populis venit; aut sine sensu
Qui magis acceleret mortem ridentibus illis,
Tanquam Sardoæ mansis radicibus herbæ.

Sic adeo regum et populorum maxima quondam
Imperia ingenti cecidere eversa ruina;
Sic ille invictus Pœnorum exercitus armis,
Deliciis Capuæ fractus; sic denique Roma,
Postquam Asia venit superata luxus in urbem,
Imperium amisit propriis confossa lacertis.
Atque ea principio, quia tum non magna videntur,
Spernimus a parvis tanquam nascentia causis;
Nec longum tempus, paulatim atque aucta latenter
Accipiunt vires et inexsuperabile robur,
Prima nisi tuleris nascentis semina morbi.
Nonne vides ut mulctatus Lacedæmone quondam est,
Qui plures citharæ chordas quam lege liceret
Aptarat, fidibusque novis corruperat artem?
Publica res sensim privataque labitur omnis,
Dum canimus, bibimus, dum membra pedesque movemus
Mollius, et nigris agitamus brachia Mauris;
Dum supra censum se fœmina vestit, alitque
Servarumque greges, et currus jungit equorum,
Tanquam de victo pompam ductura marito.
Hic ne deterior videatur conjuge pulchra
Aut Venere, aut epulis, aut turpi denique ludo
Effundit magno quæsita labore parentum:
Postquam exhausta domi pravo patrimonia more,
Audent inde manus communibus addere nummis.
Sic avidum res nulla potest explere barathrum.
Jam fœda ad reliquos manant contagia cives,
Jamque pari morbo respublica tota laborat:

Ipsa sibi atque suis non est satis una ministris.
Non manus artificum miseræque industria plebis,
Non suus urbis ager avidæ jam sufficit urbi,
Quamvis ante suis victum præberet abunde
Civibus, externis adeo nec rebus egeret.
Cogit luxus agros vicinæ invadere gentis,
Armorum atque equitum vis undique magna paratur,
Instruitur classis permagno publica sumptu.
His injusta malis oriuntur denique bella
Principiis, quæ sunt majorum causa malorum;
Hinc hominum cædes, incendia lata per agros,
Corruptæ matres, constupratæque puellæ,
Servitium æternum miseris, qui e cæde supersunt,
Ut minimum, major paupertas quam fuit ante.
Quod si contenti modico vivamus, ut illi
Aurea Saturni tulerant quos secula, nobis
Nostra satis fuerint, et non aliena petamus.
Continuo hæc similem faciat te vita deorum,
Instructum propriis opibus, nullius egentem
Auxilii, nullius opes aurumque tuentem
Divitis, ac proprio versantem semper in ære.
Tum siqua aeriis tempestas nubibus acta
Incumbat segeti, et teneras infringat aristas,
Aut quondam nimio torpescant frigore culta;
Non tu vicino multa gemere horrea messe
Invideas; non ille exspectet, ut ante rogetur
Suppetias et opem : verum tibi deferat ultro
Omnia, proque tuis alienis frugibus uti

Possis, et tanquam communi sumere acervo.
Sponte suaque homines nullo terrore coacti
Officia inter se præstent, et mutua reddant.
Tutus quisque domi sedeat, vulgoque per urbes
Securam capiant nullo custode quietem :
Oppida nec muro sit opus, nec cingere fossa,
Sublata ex animis et causa et fomite belli.
Luxuries ut enim generavit tristia bella,
Sic tenui e victu jucundam exsistere pacem,
Græci hominis tibi sit documento nobile factum.
Nam mala quum stultos ageret discordia cives,
Heraclitum adeunt, vulgo sapientia nota
Cujus erat : præsens urbis patriæque periclum
Monstrant, atque rogant aliquid se promere dignum,
Quo tandem incipiant hominum mitescere corda.
Ille nihil; tantum media spectante corona
Hausit aquæ calicem conspersum flore farinæ.
Quo satis ostendit sedari posse tumultum
Non aliter, quam si persuasum civibus esset
Delicias mensis edicto arcere salubri,
Lactucis olerique antiquum reddere honorem,
Oblatisque cibis sine magno vivere sumptu.
Nunc age, dicamus cur sint tam mollia bello
Corpora, et infractæ primo certamine mentes;
Cur malint turpes multi prætoria castra
Deserere, et patriam sævo crudeliter hosti
Prodere, quam pulchris decus immortale mereri
Actibus, egregiaque domum cum laude reverti.

Non aliam potius credendum hoc tempore causam,
Quam fuit exitio quæ magnis urbibus olim
Et populis: luxus nempe, immoderataque rerum
Copia, consiliisque bonis inimica voluptas.
Nam durata quibus sunt corpora frigore et æstu,
Aut quibus ægra fames bilem concivit amaram,
Et sitis angustas exercuit arida fauces,
Assuetique malis et vitæ semper agresti,
Hi facile et quemvis poterunt perferre laborem,
Et longas intra tentoria ducere noctes,
Et saltu vallum superare, et scandere muros:
Non unquam arma suis humeris graviora putabunt,
Quam vestem, aut tunicam, vel partes corporis ipsas.
At quem longa quies operum jam fecit inertem,
Cœnaque longa juvat, et sextam somnus in horam,
Ille tibi raras referet certamine palmas;
Ille decem totis non mensibus ante sedebit
Mœnia, sed fugiet non viso sæpius hoste.
Quam se Roma diu nutrivit pulte fabisque,
Nil vel consiliis ejus, vel restitit armis:
Gliribus at postquam cœpitque abdomine pasci,
Magnaque quadrato vivaria claudere saxo,
Et maria effossis immittere montibus intra
Piscinas, mollesque rosis insternere lectos,
Perdidit ingenium, vires et corporis una.
  Fortunata mihi multo magis illa videntur
Imperia, angustis quæ se tenuere locorum
Finibus, et laudem moderatæ quærere vitæ

Maluerint, solaque adeo innotescere fama,
Quam quæ finitimis victricia gentibus arma
Ostentant, alia ex aliis nova bella serendo
Quotidie, multaque hominum sibi cæde triumphos
Conficiunt, vano non veræ laudis amore.
Scilicet Eurotæ vetuit transcendere ripas
Cives ille suos sapienter; namque videbat
Qui semel excussis metam superasset habenis,
Non facile in gyrum rationis posse reduci.
Quod neque tam docili potuisset in urbe Lycurgus,
Nec poterunt aliis alii regionibus unquam,
Ante nisi luxum tulerint, et turpia luxus
Instrumenta, coquos, gemmas, unguenta, choreas,
Cæteraque istius generis, deliria mentis.
Non alte repetam: nostrorum ætate parentum
Aut nulli fuit, aut paucis holoserica vestis:
Lanea vestis erat scutatis empta duobus;
Nunc fundi reditus vesti non sufficit uni.
Sed neque regifico constructa palatia luxu,
Nec molli cera fuit illis tersa supellex,
Attritos ungues ancilla sæpe querente.
Carpebant modicam sub tecto paupere cœnam;
Lectus, mensa, domus, munda hactenus, ut sine sorde;
Tantum tergus equi pugnacis et arma nitebant.
Hi tamen Insubres Gallos, Genuamque superbam,
Fidentemque mari Venetum, fudere cruenta
Bis acie, tota jussumque absistere terra,
Æquoreas intra pavidum clausere paludes.

Nil erat, ad bellum quod eos tardaret euntes;
Nil erat, a castris quod mox revocaret in urbem.
Victus utrobique et vestitus corporis idem.
Verum de medio paulatim hæc vita recessit,
Vix ulla ut veterum maneant vestigia morum.
Olim prima fuit virtus cohibere solutos
Corporis atque animi motus, mediamque tenere
Inter utrumque viam, parcum nimiumque datorem.
Nunc est in pretio rerum malefida suarum
Custos nequitia, et laxis effusus habenis
Prodigus. Hunc comites circumstant undique multi,
Quos glomeravit edax et ventris amica voluptas;
Mox alio quovis accisis rebus ituros.
Atqui vivendi caste parcequé magistram
Virtutem fugimus, vulgoque horrescimus omnes,
Importunum aliquem veluti sævumque tyrannum.
Quin etiam nobis studio blandimur aperto
Præclari artifices sceleris culpæque tegendæ:
Nomina ponentes vitiorum rebus honestis,
Virtutum vitiis, abjecto fronte pudore.
Sic homines, hodie, frugi, appellamus avaros:
Contra, miramur quibus arca est semper aperta
Omnem ad nequitiam fœdæque libidinis usum;
Quorum perpetuo redolet nidore culina;
Quorum clausa domus est janua tempore nullo
Scortis ac scurris, balatronibus et parasitis.
Laudibus effusi tolluntur ad astra nepotes:
Hinc adeo fieri nulla ratione modoque

Ut sua dispensent, paucisque integra diebus
Effundunt uno veluti patrimonia jactu.
Venimus ad summum, vitiorum prendimus arcem,
Publica privatis opibus fortuna bonisque
Vincitur. Et seu sunt epulæ ludique parandi,
Seu quidvis aliud sumptu majore gerendum,
Æquamus reges, et tollimus ardua cœlo
Cornua : non memores qui simus et unde profecti,
Et qui nos casus exspectent fine supremo.
Non aurum a nobis, non gemmæ, et serica reges
Vellera distingunt ; epulamur lautius ipsis
Regibus, et Medos jam vincimus Arsacidasque.
Non est privatos quidquam discriminis inter
Et reges, nisi quod multi latera undique cingunt
Custodes, densæque apparent regibus hastæ.
Quis furor hic, quæ tanta animis dementia crevit,
Nemo suam ut sortem, nemo genus æstimet unde
Traxerit, et quibus est quondam majoribus ortus,
Quam se suscipiat digna atque indigna, velut qui
Ingreditur cæcas hiberna nocte per umbras ?
Nemo diu secum deliberet ante, paresne
Fortunas animis ingentibus atque labori
Afferat, an se amens oneri summittat iniquo ?
Nescis, Japeti genus audax atque superbum,
Nescis, diis genitos reges permulta decere,
Quæ non conveniant aliis : diadema, coronas,
Sceptra, et præferri solitum ingredientibus ignem
Cæsaribus, quæ ne privatus transferat ad se

Supplicio capitis leges sanxere severæ.
Munere pro magno, rex Antoninus amicis
Regali privata dedit convivia cultu
Instruere, et totidem mensis adhibere ministros
Ipsi quot numero cœnanti adstare solebant.
Quod nihil attinuit sponte alteriusve rogatu
Concedi, vetitum nisi lege aut more fuisset.
Rana bovem dum vult imitari parvula magnum,
Turgentes venas inflavit et ora, quousque
Abrupit sese mediam, ventrisque tumorem.
Tu nequid supra vires conere, memento;
Sed pro fortuna, vestitu atque utere cultu:
Et si peccandum est, quod erit minus elige semper.
Omnis enim secum trahit exsuperantia damnum
Immodicum: sequitur fraus atque injuria, rupta
Calcataque fide. Quod si huc accessit egestas,
Quæ solet hunc nimium splendorem claudere vitæ,
Despicient omnes, qui te coluere beatum;
Et tandem infidos frustra implorabis amicos,
Turpis et invisus pariter nigrisque bonisque.
Hæc sunt a nimio prognata incommoda luxu;
Verum peccatur longe majore periclo
In re communi, quia fraus ea respicit omnes.
Sæpe malus quæstor simul uno tempore fudit
Divitias multos cumulatas ante per annos,
Et fiscos abiens impune reliquit inanes.
Nimirum exhaustis et nil domi habentibus ultro
Munera mandamus, repleant ut, credo, lacunam.

Hos tu posse putas oculosque manusque tenere,
Adsuetos epulis, adsuetos vivere laute?
Nam cur is metuat rationem reddere, cui nil
Est in agris et nominibus, nil denique in arca,
Civibus unde suis reliquum persolvere possit?
Jam non stultitiæ est mediocris, credere regum
Fortunas, populive potentis sanctius aurum,
Cui per segnitiem privata est nulla domi res?
Vidi nuper ego quemdam, sua qui bene nunquam
Gesserat, adscitum cujusdam in principis aulam,
Qui rem turbatam confusamque ordine certo
Dirigeret. Facile hoc illi mage nil fuit unquam
Principio; verum primis derisa calendis
Credulitas ejus, qui quem modo viderat in re
Stertentem propria, plus cernere posse putavit
Rebus in alterius. Nunc tu perquirere causas
Desine, tam magno quid ementibus omnia constent.
Luxus nobilium perrupit in atria; luxus
Possidet artificumque domos, humilesque tabernas.
Illo nil genuit natura voracius unquam.
Quæritur expensæ par undique copia; tantum
Ut rem habeant, non unde aut qua ratione, laborant.
Hinc sunt immodici quæstus auroque repensa
Consilia; hinc etiam venalis præmia linguæ,
Quæ miseri jam ferre negant se posse clientes.
Hic operas pluris, graviore hic fœnore nummos
Collocat, et pretium annonæ fit majus in horas.
Denique multa fame tabescunt corpora passim.

Quod si non abeat res longius, et neque puris
Mentibus irrepant hujus contagia morbi,
Nec Venerem Bacchus, Veneris nec suscitet ignes,
Hoc aliqua fortassis erat tolerabile damnum;
Nunc tumidæ Baccho venæ solvuntur in acrem
Mox Venerem, plenisque actus fluit ossibus humor.
Nec tam magna rei, quam fit jactura pudoris.
Nupta domi residens se negligit atque maritum;
Egressura foras gemmis ornatur et auro,
Et fuco maculas inhonesti contegit oris.
Scire velim cur tam lætetur dispare cultu?
Non, mihi crede, suo cupit illa placere marito,
Aut non huic soli; nam cur se negligat intus?
Omne adeo studium, melioris et anxia formæ
Cura est observanda tibi, suspecta velut res.
Nec me composita hæc in fraudem oratio mutat:
Vivimus exleges, facimusque et dicimus, aiunt,
Omnia liberius, deceat quam forte pudicas;
Attamen illæsum retinemus mente pudorem.
Tu bona sis, et ne talis videare labores?
Sæpe mali probrum specie virtutis obumbrant.
Verum qui bonus est, malus optat nemo videri.
Quæ bene compta coma, bene toto corpore compta est.
Depilare genas ciliumque evellere gaudet,
Seque peregrinis per totam mercibus urbem
Venditat, atque oculos in se convertit et ora.
Quæ perfunditur unguentis ne puteat hircum,
Aurea quæ gestat crebris distincta smaragdis

Cingula, cui talos vestis descendit ad imos
Multicolor gemmis interlucentibus auro,
Unio cui grandis propendet ab aure forata;
Adde istuc operis Phrygii femoralia, credo,
Quo cadat, inque torum decumbat honestius: ausis,
Ausis hanc mihi tu pro certo dicere castam?
Sed quod præcipue est hac tempestate dolendum,
Nec dici castæ, nec tales esse laborant:
Matronis adeo pudor omnis fronte recessit.
Ad cœnam veniunt etiam non sæpe vocatæ;
Suprema dominæ mensarum in parte locantur,
Diverso spatio, longeque a sede mariti,
Unde queat nemo vocem exaudire loquentum.
Proximus a caris locus est insessus amicis,
Quos nunc appellant urbano nomine servos.
Hi sunt deposito qui libertatis honore,
Mancipio sese Veneri nexuque dederunt,
Exemplisque suam gaudent prætexere culpam,
Et longo numerant antiquos ordine reges,
Atque alios, quibus ipsa dedit sapientia nomen,
Quorum multa foris memorantur fortia facta,
Multa domi; sed qui subiere Cupidinis ultro
Imperium. Quis enim crudeli nescit amore
Magnanimum Æaciden captivæ arsisse puellæ?
Ille etiam domitorque virum, domitorque ferarum
Alcides, tandem positis inglorius armis,
Fœmineo in cœtu fusos et mollia pensa
Tractavit manibus muliebri indutus amictu,

Jussa minantis heræ servili more capessens.
Addunt huc regem Judæi sanguinis illum
Ædificatorem templi Salomona superbi,
Cui centum errabant meretrices atria circum
Annis jam senioque gravi, quum prima juventa
Prima carens macula, et sine probro vita fuisset.
Jam vero deus ipse deus, correptus amore
Virginis, ora sibi fingens mortalia, patri
Admeto potuit multos servire per annos.
Pastum duxit oves, pastas sub tecta reduxit,
Ignotique diu latuit sub imagine servi.
Hinc tibi stupra deum magnis celebrata poetis;
Præcipue vero duri connubia Martis
Et Veneris. Quasi nulla hominum natura deumque,
Nulla adeo virtus, præsertim bellica, pluris
Non domina semper, quam libertate fruisci
Duxerit, et Veneri non se permiserit ultro.
Cur igitur dubites, aiunt, summittere leni
Colla jugo, imperium cur detrectare puellæ,
Quod diis non visum grave sit, non usque pudendum?
Hæc sunt vana gregis maculosi et turpia dicta:
Nunc illuc redeo, digressus eram prius unde.
Mille tibi memorem mensarum nomina, mille
Condimentorum species et fercula mille;
Argento solido lances auroque nitentes,
Inter quas acies oculorum et mentis hebescit.
Poscunt Hispanum, vel quod Provincia misit,
Aut quondam nutrix magnorum Creta deorum,

Nam patrii calices et vina domestica sordent;
Ad multam fecunda trahunt convivia noctem.
Multa palam dicunt, et in aurem multa susurrant,
Non oculis illæ, non vultu, aut ore pudico.
O Romanarum legum veneranda potestas
Sublata e vivis! O Fannia et Oppia leges!
Exsistetne aliquis concessu et munere divum
Errorem hunc animis hominum qui demere possit,
Et nostri immensis moderetur sumptibus ævi?
Julia dudum lex abiit, quam si quis in urbem
Conetur revocare, ferat convicia multa;
Uxores adeo pugnent ipsique mariti
(Tanta quibus parvo minor est injuria quæstu),
Ut mores teneant, ne lex tam dura feratur.
Permiscent etiam divina humanaque jura,
Horrendum dictu! ut qui sunt modo corpore juncti,
Non animis, aliunde novos sibi quærere amores,
Jungere pro libito connubia, solvere possint.
Hæc animorum, aiunt, conjunctio corporis illa;
Illa hominum verbis, monitu hæc contracta deorum;
Quo nihil in vita potuit sceleratius unquam
Effingi. Quid enim restat, nisi more ferarum,
Ut cui quæque viro prius est oblata sequatur
Protinus: ignotum refert nihil, an bene notum,
Formosum an deformem, alienum an sanguine junctum?
Jam nimio impedior ne dicam plura pudore.
Siquis ab externis venit novus incola terris,
Et tenuem victum simul et rarum comitatum

Spernis in illo homine. At similis tu nempe Catoni,
Qui quondam Hesperiam quum proprætore teneret,
Tres secum servos non plures unus habebat,
Exiguæ vilisque togæ præcinctus amictu,
Et pedibus nudis incedens vertice nudo:
Hunc tamen ut numen provincia tota colebat,
Et mirata domum est redeuntem maxima Roma.
Si liceat votis alienam quærere laudem,
Aut si cui libeat similem te fingere possis,
Dic mihi, num malis personam et nomen Apici
Auctoris patinæ Æsopi Bitiæve bibacis,
Quam senis illius venerandi quem modo dixi;
Aut qui divitias Pyrrhi despexit et aurum,
Quique domum rediit clarus Lacedæmone victa,
Clarior at studiis domitaque libidine multo;
Aut quorum in funus plebecula contulit asses,
Et natis alimenta dedit dotesque puellis.
Quod si tanta animo sit nobis cura colendo,
Quantum nos operæ noctesque diesque tuendi
Corporis, aut ornandi causa ponimus ultro,
Cernamus facile et quid pulchrum, et quid sit honestum.
Hoc vero studium quam circa corpus inane est;
Ac si quis vestem neglecto corpore curet,
Aut alia ipsius causa quæcumque parantur.
Non hæc sunt animorum oblectamenta bonorum;
Omnia despiciunt quæ tu miraris et optas,
Et curis animum longe melioribus addunt;
Occultas rerum gaudent cognoscere causas,

Et patriæ prodesse suæ, prodesse propinquis,
Hospitio qui sunt et amoris fœdere juncti;
Privatum exercent odium cum nemine: tantum
Ut recte valeant in vita corpora curant,
Nec sese replent potu uberiore ciboque,
Quam satis ad vires cognoscunt esse tuendas.
Adde suis æqua semper quod mente fruuntur;
Non alios bello, non summo jure lacessunt,
Tam tibi dissimiles, quam sunt insomnia veris,
Aut pictæ facies vivis animantibus, aut quam
Recta valetudo sanusque in corpore succus,
Tubere crurum et ventris aquaque intercute distat.
Sed nos ad summum devenimus usque malorum,
Et gravis excepit nostras oblivio mentes
Numinis æterni. Dictis pugnamus et armis
Queis de relligione animo sententia sedit
Verior: interea tabulas et tradita Mosi
Aurea verba decem sublimi in vertice montis,
Sermones Domini et sanctorum dogmata patrum
Spernimus. Hinc animis alius subnascitur error,
Cæca latens intus velut ignorantia nostri.
Nam postquam cœpere homines avertere mentem
Diis superis, subita his oculi caligine pressi,
Ut neque se prorsus ex illo tempore nossent:
Non aliter fulgens ac lunæ cernimus astrum,
Obscurum fieri mox, lumine solis adempto.
Atque hodie, velut ignari qui sæpe locorum
Montibus excelsis et in imis vallibus errant,

Aut silva in magna: sic mens incerta vagatur
Huc illuc, et tanquam alieno in corpore vivit.
Hinc quia naturæ nescimus commoda nostræ,
Quæ sunt in nobis cæci, quæque intus habemus,
Nobis eveniant optamus. Sic ego quod tu,
Quod sum ego, tu fieri cupis; hic se vertere in illum,
Rursus in hunc cupit ille, novamque aptare figuram.
Nunc fieri miles, nunc sutor, nunc citharœdus,
Aut quodcunque aliud in mentem venerit ipsi,
Si liceat, velit; et post paulo ad prima reverti.
Inde suos mutant et mas et femina sexus:
Ille habitu et membris quam femina mollior omnis;
Hæc pertæsa sui, sexuque licentior ipso,
In medium gaudet procedere veste virili,
Et summo capiti pennas aptare volucrum;
Qualis erat Trojæ quondam sub mœnibus altis
Hectore congressus magno cristatus Achilles.
Jam non fœmineus pudor est, non sexus in illis;
Ipsa libidinibus parce natura ministrat;
Monstra voluptatum nova quærunt undique. Cesso
Dicere ne minuam dicendo maxima. Tantum
Exclamare libet, cœloque excire tonantem:
Respiciat mores aliquando et tempora nostra.
Ecce dies properat, nisi falsus noster Apollo est,
Et quæ prodita sunt libris oracula sacris,
Quo cœlum et terras sævus commisceat igni
Juppiter, et magni ruat ingens machina mundi.

AD JANUM MORVILLIERIUM.

Siquis agro longe veniens modo rusticus aulam
Introeat regis, quam nunquam viderit ante,
Multa ferens oculos partes miretur in omnes,
Nidorem imprimis tepidæ strepitumque culinæ,
Lucentemque focum; mox primæ in limine portæ
Custodes hastas manibus ferrumque tenentes,
Argento textis sagulis auroque decoros,
Interius thalamos centum, conclavia centum,
Et super auratis spectet laquearia tignis,
Et disposta locis Pario de marmore signa.
At vero foribus princeps dum mane superbis
Egreditur, magna procerum stipante corona,
Quos ibi concursus hominum, quantaque videret
Ambitione locis ex omnibus obvia ferri
Agmina densa virum! vel qualis, Juppiter, illi
Cœna videretur regali condita luxu,
Dulcia præsertim pueri si carmina cantent
Ad citharam, resonetque sono testudinis aula!
Omnia quæ postquam lustraverit ille, beatum
Ante alios omnes regem putet esse, beatos
Esse putet nullos, nisi qui versentur in aula.
Malit in his regum domibus vilissima fungi
Munia, quam centum campos invertere tauris.
Forsitan urbanis itidem videatur, idemque

Omnibus, insolitæ species quos ceperit aulæ;
Experti mala plura bonis occulta subesse
Comperiunt, illoque tegi fulgore dolores
Innumeros, comitemque per omnia tempora curam.
Malint esse domi nigrum cum furfure panem
Læto hilarique animo, quam plenas fellis amari
Carpere delicias. Jam quæ deterrima res est,
Tantorum videas nullum tamen esse malorum
Effugium, nulli hinc adeo paucive referre
Diis grati potuere pedem : dum cogitat ille
Qua sese expediat, veniaque potentis amici
Discessum meditatur; at hic dum plura recedens
Ferre parat, semperque augendo intendit acervo;
Dumque alius metuit, ne post oblitus amicis
Tot bona non tuto possit male parta fruisci,
Quæque aliis fecit, ne deteriora vel illis
Ipse ferat, Nemesisque ultrices sentiat iras,
Incautos veniens subito mors occupat omnes,
Et quæ impune prius fuerant auctoribus ipsis,
Sæpe luit peccata bonis fugientibus hæres.
At cæcum mortale genus non desinit ultro
Accusare Deos, tanquam hoc indigna ferente:
Haud secum reputans et lentam vindicis iram
Numinis ad seros extendi sæpe nepotes.
Dicendum nobis alias, communia summis
Quæ mala sint imis pariter cultoribus aulæ.
Nunc mihi conditio miserabilis illa videtur
Regum magnorumque ducum, qui mille labores

Suscipiunt et mille pericula fortiter, ipsam
Nec patriæ causa dubitant profundere vitam:
Atque his nulla malis post gratia redditur, imo
Sæpius invidiamque senes odiumque reportant.
Quarta duces nostros, atque ipsum tertia regem
Luna videt siccos primum durare calores,
Nunc etiam mediis pluvias et frigora campis
Ferre famem duramque sitim variosque labores,
Quum possint altis se claudere mœnibus illi,
Sublimique ex arce procul spectare vagantem
Circum agros hostilem equitum peditumque procellam:
Possit rex aliis ducibus committere curam
Castrorum, possit comitatus pubere nato
Finibus extremus abiens petere intima regni;
Sed nihil indignum se, nil majoribus unquam
Ille suis faceret, nil tanti nomine regis.
His meritis laudi, quæ sunt ingentia, quam non
Ingratis merces a civibus æqua refertur.
Si patriæ fines audax invaserit hostis,
Si tutanda salus, si vim prohibere necesse est,
Obstipo capite et male surdis auribus omnes
Regis ad imperium restant vocemque tributi,
Tanquam bella geri possint sine sumptibus ullis.
Non tot ab externis, aiunt, cogenda fuisse
Gentibus auxilia, et proprias satis usque videri
Hostibus arcendis alio sine milite vires.
Consulto efferri fictis rumoribus hostes
Ad cœlum, semperque in majus robora tolli.

Hanc accersendis regem prætexere causam
Auxiliis, sua cui plus quam satis arma supersunt.
At regem aut alium quis credere possit egentem
Non opis externæ, nullos conducere in usus
Tot voluisse virum tanto sibi millia sumptu
Tam procul hinc gravibusque suos onerare tributis?
Non adeo non ille sui est ignarus, et usque
Immemor officii, non ut perpenderit ante
Et genus, et numerum, et vires, et militis arma,
Quique metus præsens animis, pugnæve cupido:
Atque ea num potiora suis, an in hoste minora.
  Quid fuga Quintinos ea nuper facta per agros
Non satis ostendit, quid solis Gallia possit
Freta suis, equiti quæ sit fiducia nostro?
Tam paucis animos illi rediisse diebus,
Aut tirone putas conferri milite tuto
Posse manum, nihil ut valeat nihil usus in armis?
Quid si concisum hunc equitem componimus hosti,
Nescio, quod pariter nostra de gente cohortes
Horrida Germanæ poterunt tot millia gentis
Ferre, tot Hispanos, Belgas simul, atque Britannos,
Quos illæ integris et adhuc quum viribus essent,
Exspectare in se non sustinuere ruentes?
Quid non plus illis animi victoria duplex
Addidit, aut nobis non spem fuga turpis ademit?
  Atque utinam positis pacatus viveret orbis
Ensibus et gladiis, sævo nec milite nobis
Esset opus: sed quando malum hoc commune videmus

Omnibus, æternumque fuit, nec dedita multum
Armorum est hodie studiis, civilia longe
Plus amat, et varias exercet in urbibus artes,
Aut intendit agris plebecula nostra colendis,
Conductas operas trans Rhenum accersere et Albim
Cogimur, aut patriam Flandris exponere prædæ.
Si videas, qui nunc modicum conferre tributum
Militibus renuisque ferox stipendia nostris;
Si videas rectis ad te contendere signis
Hispanas acies, urbi si forte propinquas,
Omnem agrum circum populari, incendere tecta,
Quid non pollicearis ut hac formidine quisquam
Liberet, incolumem et salvum te præstet ab hoste?
Nunc quereris, cœlum atque deos testaris, avare,
Si quid ab immenso numerare juberis acervo.
At qua conditione? solent qua nempe profani
Mutua Judæi numerari petentibus æra,
Quæ post accipiens magno cum fœnore reddat.
Dum celeres Turcæ Byzanti ad longa sederent
Mœnia, Cæsar inops animi rerumque rogabat
Suppliciter cives, tantum et commune periclum
Ut ne despicerent, aliquid conferre tributi
Protinus, unde viros miseræ conduceret urbis
Præsidio, quam se simul et sua perdere mallent.
Non magis hi dictis aurem precibusque dedere,
Quam si non idem foret hostis, idemque periclum
Omnibus, aut regi bellum, non civibus esset.
Urbs deserta suis capitur, nec barbarus ensis

Ulli hominum generi, sexu, ætative pepercit.
Non illas tenuit patriæ miser ante negatas
Civis opes; rapuit ferus omnia et impius hostis.
Quid Macedo Perseus, collectas patre Philippo
Ad bellum dum militibus dispensat avare
Parcus opes, tanto nec dignas comparat hoste
Copiolas, et sese et regnum amisit et aurum?
Nam neque vectigal certa ratione modoque
Exigitur, nec sunt moderata impendia bello:
« Nec quidquam magnum rex unquam gessit avarus. »
At potuit certo componi fœdere bellum,
Pax etiam potuit rerum pulcherrima nobis
Restitui, quam fama fuit non nolle Philippum,
Attrebates ipsamque alios deposcere Belgas,
Vexatos longo lacrymosi tempore belli.
« Ante velim nos ante deum pietate mereri
« Et pacem, et veniam, atque illis nos reddere dignos.
« Nam quæ pax, quisve usus erit mortalibus, unde
« Numen abest? aut quæ paçis stat finis habendæ? »
Nempe bonis quo liberius vel possit abuti
Quisque suis, positoque metu ridere, jocari,
Insanire libidinibus, vel amore per urbes
Fœmineo, turpive aliquo ditescere questu:
Quæ pacis vera esse putantur commoda vulgo.
Non est illa tibi non est optanda, nec ullam
Tu potes invitis pacem componere divis.
Quod si persuasum penitus mortalibus esset
Auctorem belli esse Deum, pacisque petentum,

Non tamen ex meritis precibusve, sed his dare bellum,
Pacem illis, ut cuique magis conducere genti
Viderit, haud temere et reges et regis amicos
Accusent, causasque infectæ pacis ad illos
Primaque suscepti referant exordia belli.
Deinde nec arbitrii est pax unius, ut magis optet
Rex nihil Henricus, dare forsitan abnuet hostis,
Ni leges illum tulerit quascumque Philippus
Accipere, ut victore jubes a principe victum.
Hoc etiam pacto totum res nulla per orbem
Non venalis erit, si possessoris avari
Spemque animumque avidus pretio superaverit emptor.
En tibi Francorum virtus et pristina gentis
Gloria, quæ reges Hispanis atque Britannis
Sæpe dedit, Belgam contrivit sæpe rebellem;
Quæ Rhenum quidquid spatii fuit inter et Istrum,
Quod Lirim fluvium gelidasque interjacet Alpes
Imperio tenuit; mox relligionis amore
Omnem Asiam peragravit ovans, Arabumque subactis
Regibus, et fractis duplici certamine Turcis,
Egregium Solyma regnum stabilivit in urbe:
Tune illi tam fœdum illi dare turpiter audes
Regi consilium, cujus victricibus armis
Tristis et orba suo modo Scotia rege Britannum
Reppulit, ingressum fines atque intima regni?
Cujus et auspiciis amissa Bononia nuper,
Omnis et Oceani late maris ora recepta est;
Mox defensa gravi longe Mirandula bello,

Parmaque pontificum metuens et Cæsaris arma,
Quæ nostræ fidei sese commiserat ante;
Quo libertatem jucundam vindice forti
Sena diu tenuit, multos obsessa per annos,
Quamvis fine tamen cecidit labor irritus illi.
Qui desueta prius vestigia tempore longo
Calcavit pedibus, veterumque imitator avorum
Usque sub Helvetii ripas et flumina Rheni
Signa tulit, valde mirantibus illa colonis:
Qua spe erecta animis Germania protinus omnis
Libertatis ubique suas vexilla per urbes
Proposuit, dominumque antiqua sede potentem
Expulit ad Carnos longe veteresque Liburnos.
Quod si tum virtute sua libuisset et armis
Uti Vindelicis, nunquam post vulnere tanto
Saucius infaustum cœlo caput ille tulisset.
Atque hæc audito Errici modo nomine gesta
Sunt tamen, et Rhenum quum non transmitteret amnem:
Unde revertenti concussis omnia muris
Sparsa per Ardennam patuerunt oppida silvam.
Horrida non multo post tempore Cæsaris arma
Ingentesque minas una legione repressit
Ad Metas, quum se veteranus ductor ab uno
Imberbi puero vinci clamaret, et omnes
Contra se tum stare deos quereretur Olympi.
Quid vos Eridani, Cassale, Valentia, ripis
Impositas memorem, aut alias tot in Alpibus urbes
Vi domitas? Quid te vinique oleique feracem

Corsica Tyrrheni maris insula, qua velut arcta
Compede constricti Ligures Thuscique tenentur?
Longum sit memorare quibus rex ipse duellis
Præfuerit, quos ipse manu confecerit hostes;
Et quæ diversa penitus regione locorum
Magna per egregios bissenis gesserit annis
Bella duces, quantum imperio et ditione virorum
Creverit, aut fines quam longe extenderit agri.
Hic mihi tristis enim nimiumque adversa duorum
Objicitur fortuna ducum, duo prælia magna,
Bis fusæque acies, captusque exercitus ingens:
Magna fuit clades, fateor, nisi majus ab illis
Emersisse malis facinus fortasse videtur.
Ex illo numera quæ tempore gessimus ipsi,
Quot validas urbes, quot cepimus inclyta bello
Oppida, quæ sperare bonis vix Gallia rebus
Audeat: illum animo tibi, fac, propone, sequentes
Atque dies omnes, quibus est allatus in urbem
Nuntius adversæ Quintini ad mœnia pugnæ,
Ut sine præsidiis equitum peditumque, sine ullis
Tum belli ducibus, sine spe, quæ pascere quamvis
Alma solet miseros, discedereque ultima rerum,
Magna precabamur tristes mœstique deorum
Numina, relliquias tam fœdæ stragis ab hoste
Servarent, regumque domum hanc insignibus olim
Tot claram meritis, si nollent prorsus honore
Esse parem, sinerent aliquam tamen esse; nec hosti
Hunc animum mentemque darent, ut pergere cœptum

Vellet iter, nomenque adgnatæ exstinguere gentis.
Isto nostra loco tum res erat: adspice quam sit
Lætior hæc rerum facies, quam distet ab illa.
Arma, vides, et equos legionumque agmina nobis
Suppetere, et quæcumque putantur idonea bello:
Agminis ipse sui ductor rex, instat et ipse
Agmini. Ille etiam formido et terror Iberi
Militis in partem curæ subit, ille Britannum
Qui modo littoribus nostris ejecit, et intra
Oceani fines spatiis conclusit iniquis
Fulmineus Guisius; fractis labentia pilis
Vertice tecta suo qui fulcit publica, latis
Sustinuisse humeris ut cœlum dicitur Atlas:
Nullus in urbe pavor, nusquam trepidatur in agris.
Castra, loci situs ut patitur, quam proxima castris
Contulimus: si præterea nihil usque profectum est,
Substitit in medio saltem victoria cursu,
Fortunaque ferox jam vincere desiit hostis.
Quæ res nos igitur vel iniquo fœdere pacem
Expetere, aut nostro subigit decedere jure?
Contenti modico, longinquæ munere pacis
Dulcia carpemus læti, nostrisque fruemur
Quisque bonis, omni posita formidine belli.
« Quid tu animi vecors opulentum et nobile regnum
« Posse putas ullum diuturna in pace manere? »
Fac animo repetas memor omnem temporis acti
Historiam, quæcumque domi sint gesta forisve
Omnibus in terris postquam sunt condita regna,

Repperies aut continuis vexata duellis
Imperia, aut interposita nec longa fuisse
Reges et populos inter duo tempora pacis.
Ter modo Romani scriptores limina Jani
Clausa ferunt inter sexcentos amplius annos.
Difficile imprimis æquo duo regna coire
Fœdere. Discessum, fac, conditionibus æquis,
Rex tamen aut juvenis pacem, cupidusve triumphi,
Irasci facilisve, malo aut persuasus amico,
Aut aliquam arripiens oblatam ex tempore causam,
Continuo solvet. Quid si a victore potenti
Victus, et inferior leges accepit iniquas?
Dissimulare dies aliquot fortasse vel annos
Offensus poterit, dum corrogat undique nummos,
Dum legit exercetque suos, dum percitus ira
Contrahit, apta videt bello quæcumque gerendo.
At simul opportuna dabunt se tempora, sævus
Irruet, et quæ pace prius concesserat, armis
Nunc repetet: vim illam potius dominique potentis
Esse minas, quam liberum et æquo fœdere pactum
Vociferans; facito hunc animi tamen esse pusilli,
Quique anceps iterum non ausit adire periclum:
Ille tamen rebusque ferox tumidusque secundis,
Nesciet ille diu fortunam ferre secundam,
Non tolerare moras, non se, mihi crede, tenebit
Quin regem miserum bello quem vicerit ante,
Cuique urbes aliquot, partem vel ademerit agri,
Nunc fortem validumque etiam minus, appetat ultro.

Aut menses aliquot si quis pudor impedit illum,
Apponet reges alios, qui bella movebunt
Prima, dein socium sese dabit improbus illis.
Plurima sic afflicta legas, aut perdita regna,
Hoc cupide nimium dum pacis amabile nomen
Amplexi reges, quos belli forte pigeret,
Plus tribuunt hosti, quam bello quærere posset.
Tunc equidem levia hæc et non onerosa videntur
In tabulas dum scriba refert, quia cæca voluptas
Impedit, aversamque alio rapit improba mentem,
Aut desiderium patriæ rerumque suarum,
Aut gravis et longi nimium fuga fœda laboris,
Aut præsens aliquis belli metus, aut malus error,
Aut quidvis aliud causæ. Post nube fugata
Ex oculis, sero incipimus tum cernere verum,
Promissis condicta dies quum venit amaris,
Et linquendus ager, majorum sanguine multo
Partus, et antiquis migrandum civibus urbe est.
Traduntur claves, portis educitur omne
Præsidium, novus immittit victricia miles
Signa, recedentique ferox maledicta superbe
Congerit: interea foribus pendentia summis
Lilia convellit duri manus improba fabri,
Restituitque aquilas, multum lacrymante colono.
At quæ post regio tecta et secura latebat,
Quæ felix hunc ante diem non viderat hostem,
Apparet subito velut obiice nuda remoto.
Tum querimur stulti nimium properata fuisse

Fœdera, nil victis et nil sperantibus ultra
Durius imponi aut gravius potuisse. Quid hostes
Quid si etiam graviora jubent? Mora nulla: sequamur
Imperium, et cedamus ei qui cogere possit.

Fœdus homo turpisque senex Jovianus ad urbem
Dum properat, tantumque novum componere regnum
Cogitat, insidias metuens atque arma tyranni,
Damnoso nimium atque inhonesto fœdere cessit
Regibus Arsacidis, populus quæcumque Latinus
Omnia trans Tigrim multos possederat annos,
Armeniæ regnum et regem socia arma sequentem
Destituit: damni plus illa pace relatum est,
Plus ignominiæ, quam si certamine magno
Victa iterum ad Cannas acies Romana fuisset.

Lysimachus sese atque suos rex tradidit hosti,
Ut biberet; nam tum sitis illum dura premebat.
Utque sitim potu explevit: Proh Juppiter, inquit,
Quam cito præteriens, mihi quanto est empta voluptas
Imperio! Cupiat nunc effudisse lagenam
Infelix. Si vis exempla domestica regum
Nostrorum, quoniam melius nos instruit error
Interdum proprius, quot tradidit hostibus urbes
Pace Bretigniaca, quantum ditionis et agri
Unus homo longi pertæsus carceris olim?
Atque is cui steterat libertas aurea tanti,
Post animi causa cupiensque reversus eodem est:
Maluit atque mori servus, quam vivere liber.

Quæ mihi non aliquo belli scribuntur amore,

Aut odio pacis, qua nil jucundius unquam
Esse potest homini; sed ne dum condere pacem
Festinamus, et a bello discedere quoquo
Nempe modo, capti dulcedine nominis ultro,
Non pacem nobis, sed bella, sed horrida bella,
Et multo pejora prioribus illa paremus.
Hæc populus, sua sunt cui sola negotia curæ,
Hæc nequeunt alii tenues quicumque tueri,
Quique dolent, metuunt, gaudent, cupiuntve, quibusque
Judicium privata tulit vel gratia, vel res,
Quique malo patriæ vel turpia lucra sequuntur.
Reges ista vident, et amantes regis amici,
Otia non tantum quibus hæc præsentia curæ,
Sed requies aliquando etiam ventura nepotum.
Nam quid pace bona magis est optabile regi?
Scilicet ut varias de relligione per orbem
Clemens et placidus curet componere partes:
Ut commendet oves pastoribus undique lectis
Ingenti studio, sponsor quandoque futurus,
Et jubeat superesse gregi, ne sævus et ater
Incustodito lupus insidietur ovili;
Moribus utque bonis populos et legibus urbes
Instituat; lites, rixas, et jurgia fortis
Amputet, eque foro quæstus ac præmia tollat;
Judicia et paucis et mandet amantibus æqui
Publica, nec pœnam facilis justumque remittat
Supplicium, et meritos virtuti reddat honores.
Ut quæ longa diu bellorum impensa vel artes

Invexere malæ, tot vectigalia plebi
Demat, et immunes equitum velit esse colonos
Hospitiis, jubeatque suos sibi condere fructus.
Has sordes et monstra quibus nunc plena videmus
Omnia, quæ pulchro fulgentia cernimus auro
Per fora, perque domos et regum tecta, per urbes,
Per vicos volitare, caputque attollere cœlo,
Ejiciat manibusque vetet contingere fiscos.
Quæ res si fuerint, regnum regemque beatum
Efficient, et qui tali rectore regentur.

Nunc age, quid profers pacem cur regis amici,
Otia cur nolint? Primum communia vulgo
Quæ bona sunt aliis, isti quoque pace fruentur.
Quin etiam plura, et quo pluribus intus abundant,
Quoque domos plures et prædia rure beati
Plura colunt; adde huc vivaria plena ferarum,
Balnea, piscinas, saltus, celsisque decoras
Arboribus silvas, et amœnos floribus hortos,
Quæ non in tenui aut mediocri copia tecto est.
Seu mage deliciis aulæque tenentur amore,
Et qua potest homini contingere pace voluptas
Maxima, quam cum rege suo communiter isti
Non capiant? Regi nihil est jucundius horum
Convictu, fortuna potens et regia, cultus
Regius, ut solum videatur nomen abesse.
Quæ quum tanta frui possint et talia pace,
Cur bello pacem, cur non sua prædia castris
Turpibus anteferunt? nisi quosdam fingis agrestes

Immanesque viros eductos lacte ferino,
Nulla quibus mentem titillet honesta voluptas.
An vero metuunt ut inertes pace, nec ullis
Artibus et studiis videantur protinus apti?
Nemo huic ingenio præstat vel lumine mentis,
Non verum citius, non dispicit acrius alter;
Nec quisquam fandi melior, suavissimus illi
Funditur ore sonus, torrentia fluminis instar
Verba cadunt. Miratur in omni munere primum,
Et facile ante alios respublica suspicit omnes.
Ille quidem bello melior, sed prorsus amœnum
Ingenium, et civile tamen, nostrisque ferendum
Moribus adspicias, factum nec agrestius illa
Castrorum feritate, aliis ut sæpe videmus:
Vir pius, et recte faciendi regibus auctor.
At sine honore domi, sine summo vivet uterque
Imperio, nec magna duobus gratia factæ
Pacis erit. Quanquam meritis quæ deinde refertur
Gratia sæpe juvat, studium quoque civibus auget.
At vir amans patriæ populares negligit auras,
Nec porro ille suæ veniet minus utilis urbi,
Ingratos etiam prospectet si fore cives.
Si mala pax et fiet iniqua, quod accidet istis
Invitis, facile hac carituri laude videntur;
Sin bona, queis potius confectæ gloria pacis
Debetur? nec enim legato pacis honorem
Præconive dabis, sed ei qui maxima cepit
Oppida vi, finesque extendit longius agri;

Qui nostris quacumque pedem ferus intulit hostis
Finibus, huic raptim volat obvius, et premit illum
Fronte vel a tergo, possit ne impune vagari:
Denique sic positis occursat ad omnia castris
Tempora, sicque locis pene omnibus imminet hosti,
Ut lassum belli pigeat, pacemque duello
Malit, et optatam requiem præferre labori.
Arma solent, præsensque metus legionis, et horror
Bellatorum equitum duras inflectere mentes
Ad pacis studium, tum regis nobile magni
Præcipue clarive ducis quum nomen ad hostem
Venerit, huic subito pulsantur corda timore.
Dic age, si pacem peteres prior, ante decembrem
Præteritum, Hispanosque recenti cæde feroces
Tunc humilis supplex et victus ad æqua vocares
Fœdera; non spernant tua verba, precesque refutent,
Imponantque tibi durissima frena jugumque?
Nunc illos quæ causa subegit quærere pacem?
Nempe amissus ager tantus, totque oppida bello
Expugnata locis dimensa in parte duobus;
Horrentes acies ferro castrisque paratum
Stare vident equitem, comisque micantibus ante
Signa duces, ipsumque intra tentoria regem.
Hi pacem faciunt, non qui se venditat hosti
Et levis et cupidus, non qui sibi quærit honorem
Et populi plausus, divini muneris auctor,
Sit quamvis ea pax nec honesta, nec utilis urbi.
Quam facile humanis aut vafro imponitur astu

Sensibus, aut animis cupientum inducitur error.
Fac tamen ignaros istis quosdamve malignos
Detrahere atque auferre decus laudemque cupitæ
Pacis, et indignos aliena laude fruisci;
Fac si vis illos etiam secedere in agrum,
Privatamque domi procul aula degere vitam;
Idcircone tibi miseri videantur, amoris
In patriam qui tot clarissima signa dederunt,
Quos bene tot gestis soletur gloria rebus?
Mi non hercle magis, quam vir fortissimus ille
Linterni degens ingrata pulsus ab urbe,
Aut qui Palladiis cognomine justus Athenis
Cessit Aristides. Mala sunt hæc propria regum
Magnorumque ducum, ut multa atque ingentia postquam
Officia et studia in patriam melioribus annis
Contulerint, solam pro omni mercede reportent
Invidiam, rapiat falsos ignavus honores
Et mendax aliquis: tam sunt perversa malorum
Judicia; in meritos nec justum semper et æquum est
Arbitrium populi, non et mutabilis aulæ.

AD SAL. MACRINUM.

Non ego tot sine te soles, Macrine, fuissem,
Nec tam vicinis absens regionibus usque
Sustineam desiderium communis amici,
Si valeam, si res cupientem nulla moretur.
Me cari sed in urbe diu tenuere propinqui
Legibus adstrictum medicis, non aere puro
Vesci, ferre pedem non extra tecta sinentes.
Et vanus labor ille fuit. Nunc urbe relicta,
Ereptus medicis, elapsus pharmacopolis,
Frigida mane recens et frigida vespere carpo
Rura, novum solem atque orientia sidera servo.
Quod si forte juvat secessus visere nostros,
Disce, Carentonio superandus Matrona ponte,
Mox ubi quingentos inter duo flumina passus
Feceris, ad portum cæsis cui nomen ab Anglis
Transmittes Sequanam ratibus; nam pons ibi nullus
Conjungit ripas. Hinc te quæ proxima tellus
Excipiet, multis ubi manat vitreus humor
Fonticulis, et Vitriaco dat nomina pago,
Illa sinu me pulchra suo fovet, illa forensi
Vindicat a strepitu dirisque tumultibus urbis.
Ad fanum revocas; sed agrestes non minus odi
Cœtus; et fervere novis prætoria vestra
Hospitiis fama est, habitarique ædibus arcte.

Est qui purpureis sibi tres in vestibus una
Conspectos narret proceres; ego credere Romam
Ad vos et Tiberim migrasse, simulque vereri
Ne Syrtes fugiens Siculis immergerer undis.
Qui potis es versus in tanta condere turba?
Res adeo ipsa mihi, non nomen displicet urbis.
Castalio pauci primum de fonte bibebant
Vates; manabant tum pleno gurgite rivi.
Turba poetarum mox ut concurrere cœpit,
Aufugere procul nymphæ, atque exaruit unda.
Tu quoque versiculos Lauduni scribere plures
Una luce potes, quam multis mensibus istic,
Quo sese plenis fundit Lutetia portis.
Namque volunt silvas aut devia rura poetæ,
Et melius vacuis scribuntur carmina pagis.
Hæc tecum, Macrine, jocoso carmine lusi,
Me quia tu numerare soles in vatibus unum;
Verum aliud causæ est. Etenim sitientibus atque
Siccis permultum conferre silentia dicunt;
Congressus hominum atque usum sermonis obesse.
Quem necat importuna sitis, cui faucibus imis
Spiritus, et vox attrahitur pulmonibus ægre,
Par est colloquio et caris absistere amicis;
Sed fari vetitum prohibet nil scribere versus,
Aut certe limis aliorum scripta tueri,
Qualia sæpe dedit Salmonius aurea nobis,
Et dabit hunc ægro valeant quæ demere morbum.

DE MORTE D. BRISSACÆ.

Maturum ut celsa pendens ex arbore pomum
Concidit ad terram leviter spirantibus auris,
Sic vitæ spatium quum jam Brissaca supremum
Confecisset anus, tenuique in corpore vires
Deficerent, nulla vi animam cogente volucrem
Efflavit, quæ mox sublimis reddita cœlo est.
Fortunata suis mulier, si qua exstitit unquam
Ulla bonis, florens quæ semper amore potentum,
Victrix per medios fluctus mutabilis aulæ
Transiit, illæsum servavit casta pudorem,
Et reliquam vivens egit sine crimine vitam.
Hinc illi prius augustæ data cura puellæ,
Mox et fida comes nunquam discessit adultæ
A latere : ipsius curas arcanaque mentis
Omnia cognovit, nec quidquam regia virgo
Majus adorta rei est, consulta non prius illa.
Namque difficiles alias morosa senectus,
Quæque solet tristes animis et reddere vultu,
Hanc mage jucundam teneris gratamque refecit
Virginibus, lætum nihil ut depasceret ætas.
Unde coli ut genitrix, et mater ut altera regum
Commeruit dici, comis simul, et gravis æque.
Ut vero fert ipsa bonos bona vinea fructus,
Et similes pulli generosa matre creantur :

Sic fortes dedit illa viros; sed laudibus unum
Militiæ, æquantem veterum quoque facta virorum
Fortia, Taurini qui nunc in finibus agri
Dux magnus, Francis Insubrum debita regna
Paulatim molitur, et oppida singula carpit.
Illa quidem meliora tenet promissa beatis
Nunc loca, nec vitæ, sinerent si numina, reddi
Atque iterum cupiat mortale resumere corpus.
Horrificis quondam ceu tempestatibus acti
Ionio procul in magno, si forte remissa
Vi maris appellant reduces ad littora nautæ,
Nolint post rapidis iterum se credere ventis,
Nolint et decursa pericula rursus adire,
Spes licet ingentis potiundi affulgeat auri.
Quo minus est nobis illius morte dolendum,
Quæ bona mutavit moriens mediocria summis:
Nunc conviva deum, pulchri nunc civis Olympi
Omnes infra se positas despectat humi res.
Lugenda illorum potius sunt funera, cæcæ
More vetustatis, qui dum vixere, profundis
Immersi jacuere malis, nec turpius ullum
Sunt veriti facinus scelerata admittere dextra;
Quos tamen extinctos, offensi numinis ira
Æternique manent non deficientibus ignes
Corporibus. Tanto gravior vindicta deorum est.

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

Mentito toties Remorum et nuper in urbe,
Et post litterulis, modo quas Dunensis ab agri
Castello dedimus, vix æquum parcere. Eumdem
Namque bis ad lapidem scopulumve impingere turpe est.
Præteriere dies condictaque tempora. Quod si
Ad nova te promissa vocem nunc spemque futuri;
Non credas etiam jurato et vera loquenti,
Non si succedam foribus tuaque ostia pulsem;
Atque hæc pœna vetus mendaci debita linguæ,
Quam subeam patiens, si non aliena potestas
Hujus tota rei sit, non mea. Namque putare
Noli me lentis manibus mollique lacerto
Hoc opus aggressum; quem si natura tulisset
Ignavum, mollem, pigrum, requietis amantem,
At permulta domum retrahant tamen: optima conjux,
Tum desideriumque urbis rerumque mearum,
Imprimisque tui: facies me cujus et oris
Gratia tam reficit, quam verno tempore flores
Purpurei gratum spirant carpentis odorem
Naribus, et recreant omnes in corpore sensus;
Quam fluvio mersata diu, perfusa vel imbri,
Longa fovent volucres aprico littore colla,

Et madidas gaudent expandere solibus alas.
Quid faciam? possumne reos urgere morantes
Pignoribus captis, cœptumve relinquere crimen?
Hic, dicent, nobis operam non præbuit, urbem
Dum properat fugiens, patriosque revisere fines
Corripuit spatium concessi temporis, ex quo
Ornandæ litis nobis erepta facultas;
Aut aliud fingent maledictum atrocius illo.
Quin et sarcinulas cogenti atque ire parato
Objicitur nova cura, novique repente labores
Incurrunt: aliud jubeor cognoscere crimen,
Commissique reo mores inquirere testis.
Accipio mandata, geroque ex ordine morem.
Credo aliquod propriumve meum, facinusve paternum
Ulcisci voluisse deos, et carceris instar
Hunc mihi pœnarumve locum tribuisse merenti.
Te memini, te, virgo, priusquam extruderer istinc,
Præsentire malum hoc veniens, nostramque dolere
Sæpe vicem, quia nec capitalis quæstio nostris
Apta videretur vel congrua moribus esse.
Quod si præscisses longum fore, qui tuus erga
Nos amor est, nunquam discedere passa fuisses.
Huc aliquis saltem veniat dimissus ab urbe
Nuntius, optatis implens mihi vocibus aures,
Teque ferens, sicut primis consuestis ab annis,
Reginam pariter duo rari exempla pudoris
Vivere conjunctas animis, recteque valere.
Te quoque fraterno, atque illam gaudere mariti

Jucundo reditu, et claris ex hoste triumphis;
Et populum clausis circum delubra tabernis
Ire Deo grates tantis successibus actum.
Verum Mercurius nos has retrusit in oras,
Quas adeunt nulli, per quas nec transitus ulli est;
Et nisi spes primis affulgeat alma calendis
Promittens operi supremum imponere finem,
Janus et incipiente bifrons me liberet anno,
Forsitan huic possim succumbere, virgo, labori.

IN FRANCISCI ILLUSTRISSIMI FRANCIÆ DELPHINI ET MARIÆ SERENISSIMÆ SCOTORUM REGINÆ NUPTIAS.

Mene etiam cantare jubes et ludere versu
Necdum maturæ teneros ætatis amores,
Quos insueta Venus lasciva compede vinxit
Ante diem, thalamoque pares sociavit eburno?
Digna magis placidis vatum quos educat aula
Res erat ingeniis, vel docta Lutetia fundit
Quos gremio fecunda suo: mihi publica rerum
Cura gerendarum sensus effecit amaros,
Lætitiamque omnem vetulo gravis abstulit ætas.
Ipse quidem satis usque satis fecisse videbor,
Attulero causas properati fœderis hujus
Reges et populos inter duo; namque maligne
Quidam homines etiam hæc vulgo connubia rodunt.
Non quo more solent humiles de plebe mariti
Exspectare, pilus dum mentum mollis inumbret,
Et justæ vigeant robusto in corpore vires,
Sic reges faciunt. Licet illis ducere lectas,
Quandocumque volunt, quacumque ætate, puellas,
In magno numero. Personis regia paucis
Progenies, paucis domibus concluditur arcte.
Unde semel neglecta prior quo se obtulit istis
Conditio, frustra similis venientibus annis

Quæritur. Hinc natis quandoque superbia patrum
Obfuit, innuptæque domi mansere puellæ,
Et solæ in vacuo longum gemuere cubili.
Nulla expers adeo prorsus fortuna malorum est.
Sed par non aliud convenit pulchrius unquam
Nobiliusve. Puer vultu facieque decora
Jam magni fortisque futuri principis olim
Dat clarum specimen: super hæc quoque plurima in illo
Semina virtutis sunt non obscura paternæ.
Illa autem præstat reliquis pulcherrima forma
Virginibus, comitesque suas supereminet omnes:
Adspectu veneranda, putes ut numen inesse,
Tantus in ore decor, majestas regia tanta est.
Accessere etiam divinæ Palladis artes,
Et major sexu prudentia, major et annis.
Quæ bona, si posita in mediocri sorte fuissent,
Per se magna tamen poterant atque ampla videri.
Lucent illa quidem mage regibus insita magnis:
Tum decus accipiunt a regibus ipsa vicissim,
Splendidior gemma ut meliore inclusa metallo.
Accipe nunc quid opum vel uterque, vel altera dotis
Contulerit. Puer Henrici spes magna parentis
Unus, et imperii Francorum ac nominis heres
Designatus: at illa suo regina marito
Scotorum tabulis regnum dotalibus affert.
Parvum, inquis, parvum fateor, componimus illud
Si nostro; sed cujus opem sensitque paratum
Non semel auxilium labefactis Gallia rebus.

Quum bellum gererent nostris in finibus Angli,
Desertam illorum patriam simul agmine facto
Scoti incursabant; metus hic sua protinus illos
Respicere, et nostris cogebat cedere terris.
Quin etiam tellus his tam fecunda virorum,
Tamque ardens animus bellique incensus amore,
Ut quum alius premeret vicinum exercitus hostem,
Suppetias alius nobis laturus eodem
Tempore, cærulei transmitteret æquora ponti.
Pro quo rex Scotus frater sociusque vocari
Regibus a Francis meruit, stipantque frequentes
Semper adhuc Scoti Francorum corpora regum.
Nunc quondam socia, et longo divisa locorum
Atque maris tractu, vivent et legibus iisdem,
Et discent uni domino parere libenter
Regna duo. At medii qui sunt utrisque Britanni
Forsitan hostiles animos odiumque remittent,
Heredique ferent materni sanguinis ultro
Imperium. Vel, si malint contendere bello,
Discent quid virtus possit conjuncta duorum.
Magna quidem memoro; sed enim dii cætera, Guinis
Excisis captoque jubent sperare Caleto.
At vos lætitia, Galli Scotique, solutos
Exhilarate animos, atque omnem ponite curam;
Tuque, Errice parens, et tu, Catharina, bonorum
Tot regum genitrix, et tu, soror optima regis;
Vos etiam fratres duo gentis lumina nostræ,
Clari ambo studiis civilibus, alter et armis,

Quorum pulchra soror regi est enixa marito
Hoc decus. Ille quidem moriens hæc tanta videre
Gaudia non potuit. Natorum cura suorum
Si qua tamen reliqua est patribus jam lumine cassis,
Ipsum credibile est lætari virgine tali
Et tanto genero, graviter neque ferre vetustum
Gentis adoptivo cognomine crescere nomen.
At mater regina libens spectacula cernat
Hæc oculis, nec ferre viæ cursusque laborem
Extimeat, nec se rapidis committere ventis.
Sed potior pietas, et rerum publica cura
Distinet, invitamque locis consistere cogit.
Omnes præterea quibus aut bona, vel quibus æqua
Mens fuit, hunc faustis fortunatisque diebus
Inseruere diem, atque ejus meminisse nepotes
Præcipiunt. Ipsi reges, quos ordine stantes
Cernimus ex altis fora despectare columnis,
Exsultasse mihi, signumque dedisse videntur
Lætitiæ. Tanto mage ferrea corda quibusdam
Sunt hominum, quam vel statuis e marmore ductis.
Nam quid jactatas memorem per compita voces,
Multorum et fictas lacrymas, periisse ferentum
Omnia, et abscissam longos spem pacis in annos,
Si Francis illæsa fides Scotisque maneret?
Quin etiam, versis animis, nova fœdera regem
Atque alias aliasque nurus spectare jubebant:
Unam autem gemina, credo, jam prole parentem,
Bis totidem natam quot regis filius annos,

Quæ res visa parum, vel iniquis auribus, æqua.
Idcirco regi confingitur esse Philippo
Nubilis et matura viro jam filia, nobis
Quam spondere velit, finemque imponere bello.
Hæc primum fabella creavit regis amicis
Invidiam: detecta, aliquo post tempore, risum
Commovit populis. Tam vana et turpia livor
Sæpe malus stultos adigit prorumpere verba:
Quos ego commoneo, perfectis denique rebus,
Desinere in vulgus pueriles spargere nugas,
Desinere et quæ visa Deis sunt tendere contra.
Num studiis, genere atque opibus, num denique forma
Invenient aliam quæ se huic componere possit?
Quid promissa fides, quum flens regina puellam
Mater adhuc teneram regi transmisit, et illo
Pignore firmavit tabulas et pacta futuri
Conjugii? vel tot precibus votisque petitam
Perfidiosa suis nunc Gallia reddat amicis?
Illa viro despecta, alii quum nupserit, omnem
Semper agat vitam non immemor ante repulsæ,
Et justum cupiens ulcisci irata dolorem,
Cum ducibus nostris gerat implacabile bellum;
Aut fœde populetur agros, aut navibus ignes
Injiciat, nostrique infestet littoris oram.
Ut nec commoveat sese, tamen Anglia nullum
A tergo metuens, conscensis navibus, hostem,
Tetra magis belloque incumbat durior uni.
Sic nobis veniat cum damno dedecus ingens.

Dii, tantum prohibete malum, atque avertite nostris
Verticibus! Nimis illa nimis cum dote remissa
Gentis Aquitanæ conjux magno stetit olim
Regibus. Hic nostras veterum malus error avorum
Erudiit mentes, et cernere fecit acutum.
Vos inimicitias, odia aut privata secuti,
Non potuistis item perpendere, quid sit honestum,
Et quid damnosum, aut communiter utile nobis.
Tempus erit, quum læta domus se regia tollet
Natorum numero et divinæ stirpis honore.
Quot dabit illa viros, tot erunt tribuenda viritim
Regna superstitibus. Continget Gallia primo;
Proximus Insubrum populos omnemque tenebit
Italiam, Alpinis a montibus usque Tarentum.
Hic Scotis et jura dabit; reget ille Britannos;
Accipient alias alii mox ordine sedes.
Sic totum natis genitor dispertiet orbem.
Hæc mihi namque suo vati prædixit Apollo,
Quæ mea posteritas, ut spero, læta videbit,
Et dicet (si nostra manent modo carmina) dicet:
Ista olim jam noster avus ventura canebat,
Maxima pars hominum fieri quum posse negaret.

AD CAROLUM LOTHARINGUM,

CARDINALEM.

Hunc etiam cari morbo qui forte nepotis
Restiterat, vestri gregis unum subtrahis. O me
Pegasus hinc aliquis raptum per inania cœli
Nubila felici Remorum sistat in urbe,
Te videam studiis avide cupideque fruentem
Prima luce; dein, quum tertia fugerit hora,
Irriguos longis obeuntem passibus hortos!
Quid si te sacris operantem, magne sacerdos,
Quid si conspiciam ex alto pia verba tonantem?
Næ magis oblecter, quam quum laudata legenti
Principis obsigno rescripta, precesve nocentum
Cognosco. Tum si miserum fortuna molestis
Eripuit fucis, silvæ secreta propinquæ
Excipiunt, sterilesque perambulo solus arenas.
His tectus latebris aliquid vel cogito mecum,
Scribo, legove, nec exigitur pars ulla diei
Lætius. O miseros vani quos plena tumultus
Vita juvat resonansque forum clamoribus altis!
Atque ego præcanis et mento et crinibus essem
Unus in his, nisi tu solvisses vincula dextris:
Victor ut Alcides eduxit Thesea vinctum
Infernis domibus. Sed enim tibi gloria major

Surgit, ab immundis lustrata sordibus ara
Justitiæ, quamvis obtrectet turba malorum.
Parca, tenax, et amans lucri natura, gravate
Largitur quas res pretio mutare solebat.
Nec si tantumdem mercedis fiscus avaro
Annumeret, non ille reis auferre licenter
Malit, et infami probrum conjungere lucro.
Impius ut poscat non tam stipendia miles,
Quam scelerum veniam libertatemque vagandi
Per socias impune domos: quod si mala tantum
Consuetudo valebit, ut utile vincat honestum,
Non ideo minor hujus erit post gloria facti.
Quondam etiam jacuit præsens incognita virtus,
Quam mirata sequens ætas est deinde nepotum.
Ecce tibi veniunt, qui legem principis ultro
Accipiant, legisque auctorem ad sidera tollant.

AD MARGARITAM,

REGIS SOROREM.

Afflictum, regina, malis, et pondere pressum
Invidiæ, tua me virtus et dextra levavit:
Illa quidem fessis hominum succurrere rebus
Sueta prius, sed adhuc illustri cognita nullo
Conatu, nullaque insignis et ardua palma.
Hæc tibi pugna semel forti pugnata lacerto,
Hæc magnum præclara dabit victoria nomen,
Et posthac documento aliis erit omnibus, ipsos
Nec contra reges, nec contra exsurgere regum
Divinam sobolem, stultorum more gigantum,
Qui se divitiis freti jactare per urbes
Et jam magnanimis opponere regibus audent;
Qui cum auro parere sibi mortalia cogant
Omnia, mercentur titulos, mercentur honores.
Indignum clamant tantum potuisse sororem
Regis apud regem, atque suas cecidisse queruntur
Ad terram fractas, hoc tanquam vulnere, vires.
Qui te condemnat responsum non feret a me,
Sed mage stultitiæ damnabitur. Ac mala quondam
Verba Deos contra si proferat impius, illos
Excusare alius, defendere nemo laboret;
Parcere sed dictis jubeat, linguamve recidi

Insano. Jam ferri adamas ut respuit ictum,
Haud tua vita secus spurcæ convicia linguæ
Rejicit. At nimia hæc tua nostri cura notatur.
O plebs o! et vulgus amans sua commoda tantum!
Quid pede tu reges tecum metiris eodem,
Nec curare putas aliena? Sed est tamen inter,
Est te non minimum discriminis inter et illos;
Tu tibi, non aliis etiam prodesse laboras.
Regum progenies cœlo cognata, bonorum
More deum, nobis et nostræ tota saluti
Invigilat, multaque suos ope gaudet amicos,
Gaudet et auxilio studiis opibusque juvare.
Nec vero tantum, si res tua, virgo, fuisset,
Navasses operæ: jamdudum sponte dedisses
Victa manus. Ego me fateor non ante merentem
Hæc cepisse tuo bona munere; sed neque dignum
Pro quo susciperes tantos, regina, labores,
Et pro quo certamen atrox pugnamque subires:
Nec mea causa tamen, quanquam sermone potentum
Et linguis vexata fuit petulanter iniquis,
Non sese ratione potest causaque tueri.
Stat mecum imprimis, stat regis aperta voluntas
Tot verbis testata palam, totiesque frequenti
Conventu procerum, toties adstante senatu:
Regis in arbitrio porro est unius honores
Largiri quibus ipse velit, qui morte caduci
Rursus ad auctorem redeunt, neque deinde sequuntur
Heredes, alia ut proprio quæ jure tenemus.

Concessis tantum licet his, dum vivimus, uti.
Hunc ergo, si me voluit, quum posset, habere,
Cur adimis, cur rege datum mihi tollis honorem?
Nam cessum a moriente mihi donaverat, inquis,
Ille prius, potiorque mea est sic tempore causa.
Dicere te possum mentito nomine regi
Obrepsisse, mihique adeo nec futilis auctor
Rex erit. Audisti et meministi sæpe querentem
Tantum audere homines, ut fraudem innectere regi
Haud dubitent. Cujus neque te Cornelia facti
Solvit adhuc meritis debes quas, improbe, pœnis.
Sed fac te pœnis et legibus esse solutum,
Atque impune tibi licuisse obrepere regi;
Non tamen hunc etiam poteris dissolvere nodum.
Si monstras regem pure donasse, remitto;
Sin est conditio verbis adjecta disertis,
Si quadraginta superaverit ille diebus,
Quem biduo, summum triduo post constitit ægrum
Interiisse, potes cesso contendere jure
Esse tuum, quod sors et rerum tristis ademit
Eventus, quum sit cedentis morte soluta
Cessio? sed positam contendis tollere legem.
Aio ego, rex ait ipse, negas tu : cui mage par est
Credi? nempe recens factum est, et non ita pridem
Res ea gesta. Sedet qui testis et arbiter idem,
Cujus nulla fidem labefactat gratia, nulla
Suspicio minuit, mentitum dicere regem,
Illius ejurare forumve audebis iniquum?

Rursus, jure negas factum, et me legibus urges.
Hic magni quoque regis in arctum immensa potestas
Cogitur, augustosque patres pulsare vetatur.
Quid tu dandorum leges præscribis honorum
Regibus, et falsos trahis ad tua commoda sensus?
Unde ad nos venit, dic sodes, clausula, cessas
Quæ jubet esse ratas ita spes, cessumque valere
Si quadraginta post vixerit ille diebus?
Non descripta sacris ad res exinde profanas
Transiit? At sacrum prohibent quoque vendere leges.
Tu tamen hac ratione forensem excludis honorem,
Ut sacrum nec vendibilem, præclarus et auctor
Juris et interpres. Nam cedere sacra profanis
Si minus est licitum, cur sit meliore sacrorum
Cessio jure, nec eventu suspensa futuro
Confestim valeat, quum cætera quæ prope nostro
Sunt in mancipio, mox publica munera quamvis
Cessa cadant, nisi legitimum decurrere tempus
Cedenti post fata dabunt, iterumque recurrens
Luna dies certos languentem viderit ægrum?
At meruit vivens ea præmia ferre Poterus:
Commeritum certe fateor, dignumque videri
In medio statuam cui ponat curia templo;
Nec regis studium retraho. Sed utrilibet ipse
Quum posset dare, si mihi dat, non eripit illi.
Nec vero semper tribuit plus ille merenti;
Et favor et meritis interdum gratia præstat.
Nec semper dives melior prælatus egeno est;

Nec tam augenda novis opibus locupletis amici
Copia, quam miseri atque inopis fortuna levanda est.
Adde quod heredis persona remotior uno
Ipsa gradu, nec sæpe refert probitate parentes,
Non etiam patrio semper succedit amori.
Quanquam hic nulla mei ratio fuit: ille sorori
Promissum vetus exsolvit. Me jussit ab illa
Accipere, acceptum voluit me ferre sorori.
Ergo si meritis res penditur, haud sua quisquam
Contulerit, regina, tuis. Nunc falce premendæ
Quorumdam voces hominum, qui fronte severa
Magnificisque solent aliena reprendere verbis.
Ambitiosa quidem res est viventis honores
Poscere. Quid nimium, fateor, si patris amorem,
Si majore aliquid studio fecisse puellæ
Dotandæ causa, non excusabile factum
Indulgentis erit genitoris? an illius annos
Corripui, vitamque veneno aut fraude petivi?
Tu vero custos ægrique fidelis amicus
Quum pretio tibi sacrum esses depactus honorem,
Quid tum, quid porro cupiebas? nempe quid? ægri
Interitum nisi mox celerem, rata quo magis esset
Pactio, mancipiumque rei tibi cederet emptæ?
Confer utrumque simul factum, nihil esse videbis
Quo te præcipue tollas. Verum audio patres
Collaudasse tuum. Taceo, ne cogar in ipsos
Dicere, quos semper colui, quos semper amavi.
At malus est judex omnis qui rumpitur intus

Invidia, qui se medium fert litibus ultro,
Inque sua cupide properat jus dicere causa.
Victus, ad heredem nos rejicis. Illius urget
Gratia nos populique favor, nomenque parentis.
Si gener aut natus patris sibi poscat honorem,
Vix habeam certe contra quid dicere possim:
Hoc nisi magnificis ita visum regibus esse,
Quorum est arbitrii res tota. Sed hic neque genti
Gloria, nec deductus honos majoribus olim
Quæritur heredi: tantum pro merce reposcit
Illicita pretium patris prædivitis hæres
Filius. Aude illi factam nunc dicere fraudem.
Adspice quæ contra fuerit mihi causa parenti:
Scilicet ut nubat juveni dotata marito
Filia. Quam sine dote viro si tradere possim,
Et præsens aliunde mihi sit copia, nunquam
Ad regem toties adeam regisque sororem.
Me mea paupertas jam multos impulit annos
Regi ferre preces, et natæ poscere dotem.
Dat bonus, accipio; nec eo sum ditior uno
Asse; quod accepi mox annumerare necesse est.
Hic capit, ut condat, vel avaro in fœnore ponat.
Sed vos urbani locupletes atque beati,
Vobiscum certare alios scelus esse putatis,
Propter divitias, quibus omnia ducitis æquum
Cedere, propter opes, quibus et regnatis in aula,
Oppidaque et vicos vestra ditione tenetis.
Saltem aliquid virtuti, aliquid concedite nobis.

Si locus est aditusque ad publica munera solis
Divitibus, si nil inopes sperare jubentur,
Nil a rege ferunt : studia omnia ubique necesse est
Concidere, et virtutis iter studiumque relinqui.
« At vos cum vestris potius pereatis amicis,
« Hoc est cum nummis, quam tot bona scripta, tot artes
« Ingenuæ jaceant, et virtus optima rerum. »

AD CAROLUM

CARDINALEM LOTHARENUM.

Si pacem tecum referes, tua munia regi
Et populo non grata minus promittere possum,
Quam fraterna fuit nuper victoria pulsis
Hostibus, et capto magna cum laude Caleto.
Ingenium tibi dii, sermonem et verba dedere,
Queis animos regere, et quovis impellere possis.
Nec renuunt hostes, nec pacem nolle Philippus
Dicitur. At Christerna sui cupidissima nati,
Non unquam teneris missura amplexibus illum est,
Quem bello speret nequidquam posse teneri.
Quo sit nostra loco, quo res, neque te fugit, hostis:
Opprimimur Celtæ pariter Belgæque malorum
Ingenti cumulo, quæ nos accersimus ipsi.
Jam nimium longo vexatur lassa duello
Gallia, jam rerum damnosa mole fatiscit.
Præcipites coguntur agris migrare coloni,
Atque alio sub sole novas sibi quærere sedes:
Ipsa quoque immodicis plebs vectigalibus impar,
Oppida certatimque domos et tecta relinquit.
Nobilitas longæ sumptus et ferre laborem
Militiæ se posse negat. Nec jam locus usquam est

Pressa mali videas ubi non vestigia tanti.
Quis modus irarum, finisve aliena petendi?
Hoc animis odium, lacrymosi et semina belli,
Jamdudum, jam tempus erat deponere reges;
Jam satis experti bello, quid possit uterque,
Quasque trahat secum et quantas in prælia vires.
Barbarus externis ideo conscribitur oris
Miles, ut obversa Turcis statione relicta
Ferrum in nos amens in nostraque viscera vertat?
O cæcas hominum mentes! dum mutua stulti
Pastores odia exercent, lupus intrat ovile,
Seque super caulas saltu jacit, et pecus omne
Dentibus infrendens laniat, pecorisque magistros.
Namque malum hoc domibus si nondum abrepere vestris
Sensistis, moveant aliena pericula saltem,
Et Rhodus, et patruo non pridem erepta, Philippe,
Buda tuo, et miseræ bis jam tentata Viennæ
Mœnia, quæ tristem dederint si versa ruinam,
Pugnandum hic nobis vicini ad flumina Rheni
Cum Turcis erit atque Scythis, cum milite Græco.
Forsitan hujus erunt tot tantaque præmia belli,
Ut valeant abolere metum victoribus omnem:
Nempe aliquod positum est opulentum et nobile regnum
In medio, lateque patens provincia, parti
Alterutri cessura deum quæ munere vincet.
Huc ades, atque ex præteritis venientia rerum
Collige; non obscura dabunt se signa futuri
Temporis. Istorum donec vixere parentes,

Triginta totos bellum gessere per annos,
Exhausere suas profusis sumptibus urbes,
Multa virum turpique dederunt millia letho.
Et quid post tantos morientibus usque labores,
Quid lucri rediit? prorsus nihil. Utraque multis
Sæpe malis concussa, steterunt finibus iisdem
Regna tamen, nec quidquam alter decerpsit ab agro
Alterius : tam sæpe cadunt studia irrita regum.
Alter quin etiam senior jam plenus honorum,
Quum juvenem amisso regem genitore superbus
Despiceret, nec stare paterno fœdere vellet,
Illi congressus male, fugit, et arma coactus
Ponere, et infelix patriis decedere regnis:
Ut vivens funus sibi duceret, atque sepulcri
Ultima in Hesperia solemnem conderet aram.
Vertit post paulo fortuna, vicemque Philippus
Reddidit Errici ducibus; nec longa fuere
Gaudia victori, capta mox urbe Caletum,
Et penitus nostro depulsis orbe Britannis.
Nunc iterum summis bellum reparatur utrinque
Viribus, ac si primum hodie nova prælia tentent.
Quando igitur sine pace nequit manus ulla mederi
Tot tantisque malis, adhibe vim pectoris omnem,
Ingenii, linguæque, ac vocis melle fluentis
Suavius. Hanc nobis optatam confice pacem,
Lotharene; tibi debebit Gallia multum.
Nil te, pontificis cura, nil dignius unquam

Suscipies. Mandata tui suprema magistri,
Promissam pueroque fidem servare memento.
Hoc faciens, querna in reditu cingere corona,
Et meritum Patris patriæ cognomen habebis.

AD AMPLISSIMUM ILLUSTRISSIMUMQUE

PRINCIPEM CAROLUM

CARDINALEM LOTHARINGUM.

EPIGRAMMA.

Hoc etiam loculis munus tibi, Carole, nostris
Mittimus; hoc gratum, Carole, munus, habe.
Est parvum, fateor: verum quo forma regendi
Expressa est magni quamlibet imperii.
In multis hæc pauca manu præcepta notavi,
Visa mihi nostris moribus apta magis:
Quæ rex te longe discet meliore magistro,
Seque patris dignum reddet imaginibus.

LIBRI QUARTI FINIS.

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBER QUINTUS.

MICHAELIS
HOSPITALII
EPISTOLARUM
LIBER V.

DE SACRA FRANCISCI II GALLIARUM REGIS INITIATIONE, REGNIQUE IPSIUS ADMINISTRANDI PROVIDENTIA.

SERMO.

Cœlesti est oleo Mariæ puer unctus ad aram
Virginis: hoc felix ut sit faustumque precamur;
Tithoni longos superet vel Nestoris annos.
Talibus interea discat regnare magistris,
Quales non alios regum prior extulit ætas,
Nec quondam puero delegit mater Achilli.
Discat difficilem longe plus omnibus artem,
Antiquos ut amet regere et defendere fines
Imperii; dominis quæ sunt aliena relinquat.
Illum vicini reges venerentur, ut alto
Sanctum aliquod terris demissum numen Olympo:
Illius externi cupiant componere lites

Arbitrio populi, cupiant discedere bello.
Nec tam fortis amet dici, quam justus, et armis
Parta per humanas fugiat cognomina cædes.
Observet promissa fidemque immobilis hosti,
Nec pacem in bello, neque bellum in pace requirat.
Aut quid discipulos Christi nos esse fatemur,
Si nulla in nobis expressa illius imago est?
Haud minor in patriam pietas civesque tuendos
Cura sit, ut patrium bonum illis præstet amorem.
Tardus et ad pœnam dubiis, idem acer apertis
Criminibus vindex, rigidus legumque minister.
Nec res judicio finitasque ordine lites
Rescindat, nec supplicio pœnave nocentes
Damnatosque levet, legum nec vincula solvat.
Sive magistratus, sacrorum sive legendi
Pontifices, secum ipse diu multumque requirat
Ecquis apud cives tanto sit dignus honore,
Nec precibus, pretiove locum det, equisve citatis;
More sed antiquo, lecti proscribat aperte
Pontificis nomen, vel judicis. Audiat omnes
Quorumcumque hominum voces et dicta. Morando
Consilium melius capiet, neque sero pigebit
Agnovisse malum re denique turpiter acta.
« Quos non fallit enim reges inscitia rerum?
« Aut quænam vitare dolos prudentia possit,
« Uni quum plures ficti insidiantur amici? »
Nam quandoque dies veniet metuenda futuri
Judicii, quam nemo diem rex, sive senator,

Sive magistratus fugiet. Poscetur ab ipso
Principe non tantum rerum quas gesserit ipse,
Subtilis ratio; verum et quas gesserit olim
Improbus aut judex, aut prava mente sacerdos,
Aut alii, quibus est delata a rege potestas.
Ille miser pœnas alieni criminis, immo
Exsolvet proprii, qui non providerit ante
Quos, quibus immeritos vivens mandaret honores,
Quosve minus dignos sacris præponeret aris.
Nec mihi dignus erit divina humanaque jura
Qui didicit, si non idem conjunxerit æqui
Atque boni studium, si non pietatis amorem;
Et nisi pauperibus faveat, locupletibus æque,
Et nisi templorum reditus largitur egenis.
Quo mihi nobilitas, quo vana scienta rerum,
Si pietas aberit sacris, a judice virtus,
Si venalis erit prætor; si fonte lavamur,
Ungimur, et terra depenso condimur auro?
Ex his nulla igitur reditura pecunia rebus
Regali fisco, reditura est nulla ministris.
Nec tamen ille suos, nec quos respublica nummos
Suppeditat, demens alios convertet in usus:
Nec dabit indignis, nebulonibus, aut parasitis;
Sed bonus ut tutor, qui se rationibus olim
Cogitat adstrictum, summa pietate fideque
Rem geret, atque novi resecabit inania luxus
Instrumenta; modum veterem patriumque reducet
Vestibus et mensis. Sic vectigalia porro,

Quæ vis præteriti suasitque injuria belli,
Par erit atque decens immensa remittere plebi;
Contentum parvo paucis nam rebus egere
Convenit. Ulla tamen rodat ne bestia fiscos,
Neve palatinus sorex, aut blatta videbit.
Scilicet hæc pridem toto fœdissima regno
Invaluit pestis, viresque et robora pascit
Imperii; vix quarta redit vel tertia regi
Pars canonis. Nimium multi regalibus uncas
Admovere manus loculis. Revocandus in arctum
Ille ingens numerus, frænanda licentia furum.
Quo magis id fiat, neve hæc scelerata propago
Patronos habeat defensoresque nefandi
Criminis, hoc mihi sæpe monendum et sæpius, omnes
Abstineant donis, præsertim quique futuris
Judiciis præerunt, et quorum est summa potestas.
« Tam firmum nihil est, tam clausum, aut denique sanctum,
« Quod non expugnet vis auri; nec minus est fur
« Qui prædæ partem capit, ac qui surripit ipse. »
Tu furem excusas regi corruptus ab illo,
Restituisque loco damnatum, turpiter unde
Exciderat. Quid agis? nempe hoc, furetur ut ante.
Quid, præter veniam, censes quum præmia furi
Danda velut merito? Pudor est, pudor addere plura.
Ergo paucorum fidei mandabitur arca
Publica; nam valde est custodia lubrica nummi.
Ipsi custodes custodis egere videntur.
At fiscos augere malis rationibus ullis

Ne cupiat, fictique suos ne criminis unquam
Insimulet, justove rei, nec fine peracti,
Ne bona liberto properet donare potenti.
Sæpe bonus minimeque nocens sectoris avari
Opprimitur studiis, et crimine concidit uno,
Quod pulchras ædes, vel opimum possidet agrum.
Ne mimis etiam vel delatoribus aurem
Præbeat, injustove sinat succumbere quemquam
Judicio, ne pro compertis atque probatis
Accipiat, quæ vox inimica vel æmula finxit.
Turpe quidem miseros vita spoliare bonisque:
Turpius at recti specie falsisque latenter
Testibus appositis, et judice non satis æquo.
Condemnat cupide nimis illum prætor iniquus,
Cui putat iratum regem, vel regis amicos.
Quo gravius peccant patulis qui crimina reges
Auribus accipiunt quæ de quocumque feruntur;
Præsertim invisum vel detestabile crimen
Quum forte arguitur reus admisisse, velut si
Majestas populi vel regis læsa putetur,
Intendit partes animum quæsitor in omnes,
Ipsa fidem, simul est audita calumnia, fecit.
Occidit infelix intra ipsa exordia nullo
Sæpe suo merito; sceleris vel temporis ardens
Invidia potius. Neque post adjuverit illum
Commonstrare dolos, fictumque ostendere crimen.
Prima semel defixa animis hæsere, nec unquam
Stultitiam volet ille suam quicumque fateri,

Credulus et præceps; sed prima tuebitur usque,
Et semel offensum constans offendere perget.
Quærendum fuerat, quis sit delator, et in quem
Dicat, quove animo: prior ejus vita reine
Absentis melior. Nam qui bonus ante fuisset,
Ausum immane nefas subito, vix credere par est.
Si tamen urgetur res suspicione, vocandus
Est reus, objecto coram ut se crimine purget.
Horrebit vultum falsus delator, et ipso
Adspectu confusus erit, dignamque subibit
Pro scelere immani tanto sub judice pœnam.
At delatorum genus utile, sæva nocentum
Ne regem lateant peccata, bonosque malosque
Ut quamvis absens facile internoscere possit.
Est ita; dum norint sibi non impune futurum
Si quid in auriculam mendax effundere lingua
Ausa fuit. Tua me bis, Carole, dextera salvum
Præstitit a rabidi ferali dente leonis;
Nec metuam diras unquam te vindice linguas.
Atque utinam quam se præclara est ultus Apelles
Insignis tabula, tam nostro carmine possim
Exprimere, hoc quam sit tetrum exitialeque monstrum
Regibus et populis, quantas det sæpe ruinas.
Ostendam plane quibus orta Calumnia surgit
Principiis, ut avaritiam, torvumque tuentem
Invidiam comites secum trahat, ut mala blandis
Insinuet dictis, et blando carmina vultu.
Regem autem stupidum, buccisque fluentibus, ore

Distorto, fœda facie, rudentis aselli
Auriculis, quocumque vocaverit illa sequentem.
Ipsius ante fores delator et ostia circum
Excubat observans, ut verus nequis amicus
Ingrediens somno stertentem suscitet alto,
Et faciat tenebris amotis cernere verum.
Sic perit ille miser fictis ignarus et absens
Criminibus, quoniam purgandi oblata potestas
Nulla sui, vel rege aliud curante, vel istum,
Ut magnum longumque nimis, fugiente laborem.
Fac non nolle, tamen studiis illius honestis
Obstabunt, aliique moras et tempora nectent:
Prætermissa semel referet se occasio nunquam.
  At noster faciles aditus venientibus ultro
Præbebit populis, oblatos ipse libellos
Accipiet manibus, lacrymosas ipse querelas
Audiet, et responsa dabit poscentibus ipse.
Quam jucunda, putas, facies est regia, civi
Et quam grata suo? Tanti nihil esse videtur.
Nunquam, dura licet, gravis illius ore repulsa est.
Annuit; hoc quodcumque etiam debebimus ipsi.
Respuit; audivit prius is tamen, inde negavit.
Atque ita nemo fere tristis discedit ab illo.
  Et patrum fama est ætate fuisse, juberent
Qui mollem reges et inertem ducere vitam,
Nil agere, et levibus traducere tempora nugis;
Nullum congressu, nullum sermone petentem
Dignari, celso tenues contemnere vultu,

Abjicere imperii curam, nullamque suarum
Luce voluptatum, nulla intermittere nocte,
Is fructus regni tanquam si maximus esset.
Tales Assyrii reges Francique fuere,
Tota palatinis dum rerum cura magistris
Cesserat: hæc illis regni socordia finem
Attulit, his animos contra jus fasque rebelles.
Quare nec fidum potes hunc nec regis amantem
Dicere, qui celsos usurpat regis honores,
Abrogat imperium domino. Capitale nefasque
Est Persis habitum solio sedisse tyranni.
Tu solus regnes, solus domineris in aula,
Nil adeo regi præter diadema relinquas,
Et nudos regni titulos, et nomen inane?
« Quid non ambitio, quid non mortalibus auri
« Suadet avara fames? Moderata potentia quanto
« Justior est et quam magis expers ipsa pericli? »
Ne sit rex igitur vel iners, vel mollis, et oti
Atque voluptatum cœno demersus in alto.
Regem namque volo, non fucum inducere regnis.
Nec sibi plus sument comites, quam legibus æquum,
Quam mos et ratio, quam rex concesserit illis.
Nec vero ludis reges prohibemus honestis,
Venatuque pilaque, virilibus insuper armis;
Idque adeo si forte vacabit, et omnibus ante
Defuncti curis fuerint, operumque soluti.
At si continuo pergent assuescere ludis,
Post ægre redeunt et tardi ad seria, quum res

Exigit. Idcirco pueri juvenesque docendi
Ante annos atque ante diem supponere duro
Colla jugo, ne ferre laborem forte recusent
Insolitum, gravior quum post accesserit ætas.
Anglus Aquitano Francos ejecerat agro,
Et desperatis jam rebus Poto redibat,
Hirrus et, insignes armorum laudibus ambo.
Atque ut dura nimis belli fortuna ferebat,
Tectum ingens mœsti subeunt, regemque salutant.
Ille choros media ridens agitabat in aula,
Permixtus niveo candentibus ore puellis.
Et procul ut vidit, Scitene, exclamat, amici,
Exercere pedes videor? Cui Poto vel Hirrus
Tristia ducentes suspiria pectore ab imo:
Næ tu inter ludos choreasque, sepultus amore
Femineo, perdis pulchrum hoc et nobile regnum.
At non incassum juvenes ea dicta dedere.
Nam subito memorant ex illo tempore regem
Mutatum, et positis conversum ad seria ludis.
Servandi studium gregis armentique fidelis
Pastor habet; cujusque rei sua cura magistris.
Ars etiam quædam dominari in bruta putatur.
Quam si turpe malumque viris agrestibus artem
Negligere, aut nescire etiam; quam turpius istos
Qui præsunt hominum generi, non illa tenere,
Nec curare quibus homines populique reguntur?
Rex igitur primis noster jam discat ab annis,
Quæ tanto imperio dignum se reddere possint.

Et quanquam fidis comitatum semper amicis
Esse velim, nihil et moliri insigne, vel altum,
Nil operæ pretium, consultis non prius illis;
Non tamen usque suis diffidet viribus, ut non
Audeat ipse aliquid per se, ut non ante remotis
Omnibus, in tacito se consulat ipse recessu,
Quid regem deceat, quid honestum, aut utile factu:
Quam rem suscipiat, quibus explicet inde ministris,
Ut caveat vitetque dolos et prava suorum
Consilia, ut monitis addat melioribus aurem.
Quin etiam admissus semel imprudentibus error
Multorum erudiit mentes, vitæque sequentis
Dux bonus, et sapiens est regibus atque magister.
Hoc faciens lapsus sum turpiter: hic mihi stulta
Verba dedit; posthac nobis erit ille cavendus;
Hunc mihi delegi recte cui credere possim.

Sic medium teneat, neque se plus diligat æquo
Elatus blandis hominum sermonibus, aula
Quos habet innumeros, neque sese negligat ipsum.
Sed gravis ut censor, voces et verba loquentum
Expendet, fictis veros distinguet amicos.

Atque utinam centum genitrici proroget annos,
Proroget uxori atque amitæ Deus, et tibi fratres
Longa duos præstet venturi temporis ætas
Incolumes, ortos Lotari sanguine fratres,
Huncque senem profugum modo qui revocatus in aulam est,
Unde per invidiam pulsus decesserat olim.
Non pia, non et fida tibi, rex maxime, deerunt

Consilia his vivis. Res, si vacat, adspice cœptas,
Adspice prima tui quæ sint fundamina regni;
Majorum nemo posuit meliora tuorum.
Non tamen idcirco tibi palpum obtrude vel illis;
Nam quid sola potest hominum prudentia? Verum,
Principium tibi sit, bone rex, et norma regendi
Imperii, assiduus timor et reverentia sancti
Numinis: hæc præeat tanquam fax semper eunti.
Namque homines, quamvis præclara mente fideque,
Multa vel ignari peccant, vel non inhonestis
Impulsi studiis, aliquave cupidine, multa
Mille modis aliis etiam sine fraude, parique
Involvunt errore animos, et pectora regum.
Non ita cœlestes animæ, quibus omnia semper
Cognita sunt penitus rerum quæcumque geruntur;
Nec fallit quemdam Deus, et neque fallitur ipse.
Hic tua cæca reget tenebris vestigia noctis,
Luce reget media: nemo duce labitur illo.
Cujus nempe vicem quando geris, et tua nulli
Magnorum cedit collata potentia regum,
Omnia dicta, quoad poteris, tuaque omnia facta
Assimilare Deo, debesque accepta referre.
Et quoniam, veteres ut dicunt, maximus idemque
Optimus est, talem quoque te præstare memento.
Nos autem, qui visum ulli notumque negamus
Esse Deum, tamen et qualis sit patria virtus,
Majestas et quanta Dei genitoris, ab ipso
Conjicimus nato, qui se mortalibus olim

Miscuit, et pariter vixit, mox deinde revixit.
Quem vivum quisquis vidit, putet ille parentem
Se vidisse; fuit nam vera ipsius imago
Filius in terris. Noscendi hæc una parentis,
Præterea via nulla. Sed ille per æthera purum
Jampridem elapsus, celso consedit Olympo.
Atqui multa sui nobis monimenta reliquit
Ingenii, morum veræ pietatis: ab illo
Tradita perfectæ manavit formula vitæ.

Ille Deum quo sit cultu, qua mente colendus,
Qua prece conveniat placari, et quam bene grata
Ipsius ante aram cordis cadat hostia nostri,
Edocuit, verum templisque indixit honorem.
Omnibus hunc animi nervis et pectore toto
Diligere, atque aliud nihil æque jussit amare,
Qui cœlum et stellas, et totum condidit orbem.
Nos genuit, pascit genitos, alit, educat almo
Ubere, parcit eis merito quos perdere possit.
Et quis enim nostrum peccat non omnibus horis
Supplicio condigna gravi? tamen omnia tentat
Ille prius, sævum jaciat quam nubibus ignem,
Datque locum veniæ, quoties se surrigit ante
Lapsus homo, et vita mutat meliore priorem.
Qualis amor Domini, talem nos inter amorem
Reddere, et auxilio miseros opibusque juvare
Præcipimur, nullam reminisci temporis iram
Præteriti, nullam ad solem perferre cadentem,
Et faciles ultroque aliorum ignoscere culpæ.

Hoc nos privati, quibus est cognatio nulla
Cum superis, facimus : quo reges æquius omnes
Diis genitos facere, et cœlo se reddere dignos.
Tu vero cui summa Deo delata potestas,
Quique etiam præstas aliis tam regibus unus,
Quam reges alios plebi præstare videmus,
« Tu bonus et clemens esto, similisque deorum,
« Qui cœlos habitant. Propria est clementia regum.
« Tu malis servare tuos, quam perdere, cives : »
Et quam olim veniam exspectas a rege deorum,
Impertire aliis hominum rex. Utere parce,
Aut nunquam, horribili gladio, nisi pene coactus
In desperatos, medicorum more, secantum
Arida quæ modo sunt, et putrida corpore membra.
Est quiddam medium : nec laus quærenda severi
Suppliciis hominum, nec laus clementis et æqui
Est venia passim tribuenda, et dissoluendis
Legibus. Exemplum non longe extraque petetur
Lenis mansuetique animi. Fer lumina retro.
Vel genitore tuo, vel avo, clementius unquam
Nil sumus experti. Facilis vel promptus ad iram
Neuter erat : jecur et placabile pectus utrique.
At genitrice tua quæ femina mitior ulla est
Omnibus in terris? Quæ quum excandescere nuper
Jure videretur cæso potuisse marito,
Non solum non ulta suos est illa dolores,
Sponte sed ignovit, suaque iis permisit habere,
A quibus atroces animis exceperat ictus.

Ignovere suis obtrectatoribus ipsi,
Quorum consilio stat adhuc res Gallica, fratres.
Multa novi quæ ferre solent exordia regni
Damna, fugas raptusque bonorum, vincula, cædes,
Nec sumus a quoquam passi, neque principe nostro
Sensimus. Inversus sonitum vix reddidit axis.

Ergo sis, Francisce, tuis et mitis et æquus
Civibus, ac mandata Dei cultumque perennem
Jam meditare puer, curam meditare tuorum.
Namque hæc prima tuæ virtutis semina surgent
Paulatim, pariterque tuo cum corpore crescent,
Et super alta suos extendent sidera ramos.

Tunc neque nos puero sub rege fuisse pigebit,
Nec te discipulum tales habuisse magistros
Imperii, et juvenem laudes æquasse parentum.

AD JACOBUM FABRUM.

Tres adeo totos descripsit et amplius orbes
Luna ferens hiemem, pluvias et frigora secum,
Quos ego nunc menses? annus magis esse videtur,
Ex quo Francisci regis discessimus aula.
Nam quibus est, dulci patria domibusque relictis,
Trans maria aut montes alio procul ire necesse,
Non illi properant celeri discedere cursu;
Sed mage respiciunt, retroque ad mœnia tristes
Convertunt oculos, et si nihil obstet, ad illa
Prima suæ ætatis cunabula sponte recurrant.
Multa quidem modo vera movent, modo gaudia falsa
Mortales animos, sperare jubentia magnum
Nescio quid, felicem et in omnia tempora vitam,
Et patriæ inducunt oblivia dura, novasque
Externo subigunt cœlo perquirere sedes.
Ut quum conditio pulchri est oblata mariti,
Ardet amore novo mulier : via nulla volenti
Difficilis, seu messis, erunt seu tempora brumæ,
Seu pedibus, fragili seu nave per æquor eundum est;
Tales principio tangunt præcordia motus.
Verum ubi et illa viæ sese permisit, et unde
Exierit, secum quos ante reliquit amicos
Cogitat, et quam sæpe cadit spes vana futuri :
Vellet non movisse pedes, extraque tulisse

Limina. Quin etiam vestigia forsan, utrumvis
Quum possit, referatque domum, redeatque libenter.
Hæc eadem optatum vidit simul atque maritum,
Spernit amicitias veteres, carosque parentes,
Et natale solum, et quidquid fuit ante puellæ
Jucundum, atque novo post omnia ponit amori.
Et quis enim potuit vitare Cupidinis ignes?
Aut quam sævus Amor sibi non parere coegit?
Quidquid erit, non pauca animi tum signa dolentis
Vidimus in vultu dominæ, crebrique per omnem
Sermones de rege viam, de matre fuere
Principis, ut facile invitam migrare putares.
Quæ mihi non memorare libet, ne versibus atris
Obductum vobis renovem jam pene dolorem:
Dicemus tantum dicemus carmine longo
Ecquod iter nostrum fuerit, quas vidimus oras
Quorum hominum, et per quas vestigia fecimus urbes.
Tum si jucundum, gratum, aut memorabile dictu
Acciderit quidquam, narrabitur hoc quoque vobis.
Egressi Blæsis, qua rex est luce profectus,
In Remorantina primum consedimus urbe:
Quæ res et quæ prima fuit tum causa morandi
Vos audisse puto; nam cur ego cognita vobis
Persequar, et vanis onerem sermonibus aures?
Hinc Biturix adeundus erat, primusque Viarzo,
Nobilis et Carli Mehuenus funere regis:
Quæ regina tamen vitavit, Avarica necnon
Mœnia, ne cives sumptu vexaret inani.

Hac ego jussus iter feci, dominamque sequentem
Devia, vix Duni quarta post luce revisi.
An tibi Borbonias multo cum felle placentas,
Et memorem fœdo luctantes æquore mulos,
Sargiacum pontem, nemorosæque arva Colubræ
Inferna pejora via, pejora Pitivi
Fertilibus campis et Lori mollibus arvis?
Urbis prima suæ portas et sacra Molinum
Templa coronavit, clausisque effusa tabernis
Ordine tota suum plebs est comitata senatum.
Venerat huc sextum ante diem dimissus ab aula
Nuntius, et creta postes signaverat alba;
Jusserat et dominæ venienti occurrere cives.
Villanovanus opes reliquas monstravit et hortos
Extinctæ gentis, pendentiaque arbore poma,
Media quæ misit quondam, mirabile visu!
Fons etiam dominæ testari visus amorem
Majores fundebat aquas cœloque ferebat
Altius. Hic soles inviti quinque moramur,
Dum vaga se referunt veteres ad flumina ripas,
Aucta repentinis nivibus pluviaque sequente.
Hinc proficiscentes Bessumque humilesque Varenas,
Et celsæ fumosa subimus tecta Palicæ.
Septem marmoreis ibi tollitur ampla columnis
Porticus ex dono Ligurum, domus ipsa refulget
Ornatu passim vario et laquearibus aureis.
Venimus hinc longam jam sole cadente Roanam,
Unde Liger confisus aquis et fluminis alveo

Insuetas audet primum jam ferre carinas,
Subjectis variasque locis transmittere merces.
Omnes incolumes fatum servarat ad illam
Usque diem, servarat heram comitesque puellas.
Bogomarum, quamvis picto confideret ore,
Multaque jactantem febris tamen aspera cepit.
Illius amissi morbo lususque jocique;
Sed tamen indutus vulpinæ tegmine pellis
Tertullus, nivea perfusus et ora farina
Saltavit satyrum, choreasque agitavit agresti
More : dein sic ludum ornavit, ut ipse sederet
Arduus in baculo, complexaque crura teneret.
Nunquam sede super tali consisteret ille,
Si non in truncum procumbat corpore toto,
Quem manibus terra defixum utrisque gerebat.
At quoties læva in dextram se versat, et alte
Erexit truncum; nisi se libraverit æquo
Pondere, vix certam potis est vitare ruinam.
Hunc alii juvenes imitati, tum sua duro
Membra pavimento fundebant non sine risu.
Vis etiam monstrem curæ nos esse deorum,
Ac memorem non visa prius miracula quædam,
Et quæ votiva videat si picta tabella
Posteritas hominum miretur? Ut ad juga montis
Venimus, a Tarara cœpit qui nomina vico,
Ebrius ut semper, Dalbeni auriga poetæ
Dum malefirma loco vestigia ponit iniquo,
In præceps cadit, inter equorum terga rotasque;

Et memor usque sui ferventem sistere currum
Obnixus frustra pedibus conatur: at illi
Per medium pectus, per viscera ferreus orbis
Volvitur. Attoniti certatim tollere corpus
Accurrunt socii. Jam sese erexerat ille
Impiger, ostentans nudum sine vulnere pectus.
Creditur ebrietas, multos quæ perdidit olim,
Hunc servasse virum : nam multo quum gravis esset
Inflatus venasque mero, robustius actas
Sustinuitque rotas, et pressum ponderis omnem.
Lugduni comitum fuerit quæ pugna duorum
Cantabo, longis quum diceret alter eundum
Navibus, et suaderet equi vitare laborem ;
Alter aquas Rhodanique timeret saxa furentis
Ingentesque pilas, et subter euntia pontes
Flumina, nec fragili vellet se credere ligno.
Nil est quod metuas, ego te, Dorsennius inquit,
Salvum atque incolumem sistam procul urbe Cavarum.
Qui potes hoc? etenim nunquam me flumine lavi,
Nunquam nare puer didici. Possum, o bone, possum
Si me audire voles. Ego bina tumentia vento
Cingula subnectam lateri, queis nixus aquarum
Summa tenens fluvio nunquam mergere profundo.
Hoc alius quisquis volet, experietur, et audax
Insolito cursu cœlum tentabit et undas.
Nam memini quemdam fictis quum fideret alis,
Præcipitem ex alto sese demittere muro
Ausum; sed frustra commovit in æthere pennas,

Et fracto pueri riserunt crure cadentem,
Tum mihi culcitris substerni mollibus optem
Pingue solum; fugiam silices et strata viarum.
Ut trepidi saliunt male pisces littore sicco,
Nec facile in terra vestigia ponit hirundo :
Sic ego nec volucrum, nec iter tentare natantum
Auctor ero cuiquam; nec, si me vertere possim
Aligerum cupiam, pinnis vel mobile corpus.
Naturam moneo, coget vis nulla, sequatur
Quisque suam; nec quo pedibus contendere possit,
Tentet adire mari, transnare vel aera pennis.
Quinque dies totos deducta colonia Planco
Nos habuit. Sed quam prior ætas illa videbat
Acrius, ut communis ei tum cura salutis
Major erat : nitidis in collibus aere puro
Urbs fuit, unde omnes longe prospectus in agros,
Deerat aquæ rivus. Fontes procul urbe petiti
Ad fanum Stephani, celsos aqua ducta per arcus;
Sed veterem consumpsit edax furor igneus urbem.
Nunc inter montes Ararisque fluenta premuntur
Angustæ nimium spatiis brevioribus ædes.
Nec tam multa virum tam parvo millia possint
Esse loco, nisi summa domus fastigia tollant
Altius, et ternis geminent cœnacula tignis.
Mane vapor crassus nebulæ petit ora, nec ante
Discutitur, quam sol medium confecerit orbem.
O vere cæci Chalcedones! Attamen ipsi
Qui præstant opibus cives, nunc inter aquarum

Ductus atque urbis veteres in monte ruinas
Ædificant, patresque suos errasse fatentur.
Spina latus dextrum Rhodanoque Ararique sinistrum
Cinxit, et ex alto misceri cernit in unum
Flumina magna duo, ac totam circumspicit urbem.
Ædibus illius nihil est, vel amœnius hortis.
Qui sic ædificant mihi cum ratione videntur
Insanire aliqua, vel non male ponere nummos.
Nec procul hinc parvæ vestigia magna Viennæ:
Dum res Allobrogum stabant, ea montibus altis
Jura dabat, Rhodanumque habitantibus inter et Alpes:
Nunc invita loco decessit, et altera Græcum
Urbs quæ nomen habet primos accepit honores.
Hic tibi se permulta dabunt monimenta Latini
Nominis, ingentes sculpto de marmore portæ,
Arcus innumeri, prætoria, Cæsaris ædes,
Et qui disjectis per saxa canalibus urbem
Dulcis aquæ repetit leni cum murmure rivus:
Unde sacros latices dum plenis haurio palmis
Me penitusque immergo loci deceptus amore,
Immodicos sensi stomachi ventrisque dolores.
Hinc nos magnificis excepit Russilo tectis,
Russilo Turnoni domus inclyta. Nil fuit illo
Hospitio dominæ jucundius. Ipse legendi
Pontificis causa major Turnonius annos
Tres aberat totos Romæ, dum funere funus
Accumulant Parcæ. Minor intus dulcia nobis
Vina ministrabat, plenisque obsonia mensis

Multa auro argentoque nitens et munda supellex,
Multi Sidoniique operis Phrygiique tapetes.
Hinc Valiæ fanum parvique ad mœnia Tinni
Venimus. Adversæ Turno est in margine ripæ
Arduus, et Rhodanum premit alta rupe sonantem.
Montibus his prima est nascentis gloria Bacchi:
Turnoni quamvis volat inclyta fama per orbem,
Alba tamen meliora ipsi Tinnina fatentur
Indigenæ, et præferre etiam Vivaribus audent,
Quanquam melle fluunt illis mage dulcia vina.
Dum sternunt lectos famuli, dum cœna paratur,
Transvehimur Rhodanum, parvamque ad scendimus urbem,
Turnonum quæ prima dedit cognomina genti.
Hic domus est florens studiis, constructa superbo
Ingentique opere; hanc major Turnonius ante
Condidit ipse suis opibus, Musisque dicavit;
Immensis etiam post vectigalibus auxit:
Unde peregrinis doctoribus annua merces,
Et pueris inopique essent alimenta juventæ.
Huc gens Allobrogum sacras ad Palladis artes
Et natos extrema suos Provincia mittit.
Nec procul hinc Isaræ rapidum transmittimus amnem
Navibus atque Droum rupto qui ponte per agros
Ibat ovans, prædamque hominum pecorumque trahebat.
Nec te carminibus præclara Valentia nostris,
Aut liquidos fontes, et mollia prata silebo.
Tu legum fontes aperis, tu juris et æqui
Prima sub Alpinis monstrasti gentibus artem.

Sed juvenum faciles animi capiuntur in urbe
Sæpe tua, et teneras ardent sine more puellas,
Mentitique patrum spem turpiter inde suorum,
Aut vertere solum, aut in propria tecta reversi,
Exegere suis despectum civibus ævum.

At Lorii, curvo vitreus fons manat ab antro,
Dignus carminibus Flacci doctive Maronis;
Nobiliore loco, Roma, vel dignus Athenis:
Nunc rudibns præbet latices potumque benigne
Agricolis, Rhodanique obscurus mergitur undis.
En tibi jam duri sensim mitescere colles
Incipiunt, Rhodanusque suas extendere ripas
Liberius, spatiisque incedere gaudet apertis.
Quis cœlum et campos, qui sunt regionibus illis
Trans et cis Rhodanum, montis quis vina Limarri,
Quis Jubram et Rubium condigne laudibus ornet,
Ingentes fluvios quum nix e montibus altis
Liquitur, aut pluvias quum Juppiter æthere fundit,
Nunc genua alipedum contingit neuter equorum?
An castella tibi præruptis ardua saxis
Enumerem Rhodani spernentia fluminis iras?
Exin saxa novi transcendimus aspera Castri,
Et tumulos Donzella tuos: mox petra recepit
Hospitio nos Lata suo. Paulinus ab agris
Vina dedit convecta suis, cœnamque puellis,
Barbaricisque domum spoliis ornavit et auro.

Pons erat ad dextram rara mirabilis arte,
Ingentis Rhodani ripam qui jungit utramque.

Hac quidquid mercis Narbo ditesque Biterræ
Lugdunum mittunt, Mons Pessulus atque Nemausus
Commeat : urbs posita est adversæ in margine ripæ.
Proximus huic fractas ostendit Arausio magnæ
Urbis opes, et nunc propter monimenta Latini
Nominis, et claros Marii visendus honores
Marmoreus cœloque ingens attollitur arcus :
Fatidicæ spectes in eo prognostica Marthæ,
Ardentemque facem manibus quam virgo gerebat
Commissam Marioque gravem post consule pugnam,
Binaque devicto surrecta ex hoste trophæa.
At supero monti quæ pars conjungitur urbis,
Integram magni frontemque aditumque theatri
Servat adhuc, corrupit edax nam temporis ætas
Cætera, et ignari quondam manus improba vulgi,
Quod nunc in mediis posuit sibi tecta ruinis.
Millibus hinc denis urbs distat Avenio tantum,
Nobilis, et longa magnorum cognita sede
Pontificum, quo se Latio Romaque relicta
Contulerant. Nunc missus ab urbe vicarius alta
Pace regit populos. Nil ponte superbius illo,
Quem subter Rhodanus multis jam labitur auctus
Fluminibus. Moles etiam miranda palati
Materia et sumptu; paulum aut nihil artis in illa est.
Ac tibi si monumenta placent antiqua, videbis
Felicem Lauræ tumulum, cineresque beatos
Laudibus ingenioque et summi carmine vatis.
Quin etiam muri laudantur, et ambitus urbis.

Nam neque Judæos visum est in laude colonos
Ponere, nec vero commercia gentis Alanæ,
Impia quam dicunt tacitis præcepta fovere
Mentibus, errores et adhuc retinere parentum.
Hac rapidus Boreas exortus nocte, domorum
Plurima dejecit fastigia: vidimus ipsi
Haud tenuem tanto convulsum turbine murum.
Quumque die placuisset iter properare sequenti,
Multæ præcipites ab equo cecidere puellæ,
Multi acres fortesque viri. Quin unus in illis
Excussum vento capitis dum tegmen avarus
Insequitur, mediis pene est absorptus in undis.
Monte Cavo, qui vicus eo sic nomine dictus,
Quod suberat monti, noctem perduximus illam.
Hinc fortunatus longe lateque patentem
Planitiem, riguos aperitque Cabellio campos:
Non majora aliis nascuntur persica terris,
Non ager, aut alius fert æque mitia poma.
Pluribus immissus variisque Druentia rivis
Prata rigat, duplicem domino referentia fructum.
Desuper horrendus saxis mons imminet urbi,
Quem veteres coluisse ferunt; sed montis iniqui
Pertæsos tandem venisse ad plana minores.
Nunc etiam antiqui cernas vestigia muri,
Et vetus inscriptum Pompeii nomine marmor:
Cætera longinqui delevit temporis ætas.
Millibus hinc distat non amplius Orgo duobus,
Lotarenorum ditionis, at inter utramque

Saxa ruit, Stygiasque Druentia volvit arenas:
Non alius celsis revolutus montibus amnis
Vicinos ripæ populatur latius agros.
Tunc etiam inflatus rapide spirantibus auris
Navigia horrendis jactabat parva procellis.
Hic meus abjecto risum tum pondere mulus
Adstanti populo commovit, inire frementes
Dum detrectat aquas parvamque adscendere navem:
Sed tandem iratas constrictum fune retorto,
Et frontem atque oculos velamine vestis opertum,
Tergaque percussum flagris transire coegit
Mulio, sæpe licet ferrata calce petitus.

Apparent longe lapidosi tecta Saloni:
Hic mendax contorta dabat responsa petenti
Nostradamus populo. Jam, quæ dementia! regum
Dictis nobiliumque animos et corda regebat.
Hæc aliena Deo prudentia; namque futuros
Prospicere eventus mortalibus ille negavit.
Occurrunt nobis sitientes inde Thalassi,
Et salsis Martegus aquis, prope millia septem
Introrsus terras fluvio stagnante refusus.
Hunc in secessum magno sese agmine pisces
Jactati ventis et fluctibus æquore in alto
Proripiunt. Homines vicinis undique pagis
Concursant, captamque trahunt ad littora prædam.
Berra lacu medio jacet insula. Sal ibi multum
Conficitur, longeque per omnes mittitur oras.

Progressi septem vel millia circiter octo,

Rupibus ex altis longe maris æquora vasti
Prospicimus, Græcis fundataque mœnia quondam
Exsulibus, villasque frequentes mœnia circum
Tot numero, quot sunt agri prope jugera culti:
Quæ magis ipsa placent variis divisa colonis,
Quam totum si forte solum domus occupet una.
Forsitan exspectas ut longo carmine dicam,
Massiliæ, primum, quam sit vetus urbis origo,
Quique hominum sermo fuerit, quæ vita, priusquam
Barbara colluvies antiquum infusa decorem
Verteret, et longo mores corrumperet usu;
Quæ Graiis disces scriptoribus atque Latinis.
Est olei vinique ferax ager: optima ficus
Nascitur his et multa locis, conditaque longe
Mittitur extremos ad Belgas. Urbs tribus ipsa
Partibus alluitur pelago; tutissima nautis
In portu statio. Nam montibus undique venti
Ipsius angustis prohibentur faucibus hostes,
Quas ipsas triplici conjungunt nocte catena,
Nequa intro penetrare ratesque incendere possit
Vis inimica. Sitam celsis in montibus arcem
Perpetui vigiles adservant; unde per omnem
Circumferre oculos possunt et lumina pontum,
Quot numero naves illi transire per altum
Conspiciunt, totidem cœlo rutilantia tollunt
Vela, quibus signum subjectis civibus imis
Dant procul. Expediunt illi sua protinus arma,
Atque omnes aditus objecto milite complent.

Multum armis et classe valent. Dux deesse videtur
Tantum, continuo armorum quos imbuat usu.
Strossam omnis veluti Pollucem et Castora fratres
Nauta vocat rebus dubiis, solumque potentem
Ventorum atque maris per secula multa fuisse
Prædicat, et solum cui cesserit Auria ductor
Nobilis, ac viso pavitans profugerit hoste.
O te, Massiliam, si viveret ille, beatam!
Quo duce nulla tuis se conferat altera bello
Militibus gens, nulla tuos urbs æquet honores.
At nunc Etruscæ castellum ignobile gentis
Dum nimis incautus spatiis explorat apertis,
Et propius muro succedit, saucius ictu
Fulmineo, pulsæ nitroque et sulphure glandis
Concidit: haud dignum tanta virtute periclum.
Hic dux Emanuel progressus ab urbe Nicæa
Occurrit dominæ. Fuerint quæ gaudia noctis
Illius haud facile est dictu, et quæ deinde sequentum.
Ire mari nuptæ placuit, dulcique marito
Addere se comitem: pedibus procedere jussi
Queis mare suspectum est, ego non postremus in illis.
Massilia celsas Ligurum via ducit ad Alpes,
Per mediam vallem duris latera ardua cinctam
Montibus, et celeri labentia flumina cursu.
Albani primum consedimus, inde propinquo
Zachariæ fano, quod abest prope millibus octo.
Arduus ad dextram mons Balma, vetusque sacellum
Huic Mariæ sacrum, Domini quæ lavit et unxit

Mollibus abstersitque pedes et crura capillis.
Namque ferunt Mariam domino crudeliter acto
In sublime crucis lignum, stipante frequenti
Agmine sanctorum, parvam conscendere navem
Littore in Assyrio, et rapidis se credere ventis
Ausam: sunt qui sponte negent solvisse, sed una
Cum sociis illam in navem rectore carentem
Remigibusque, cito ut mediis occumberet undis,
Impositam, tenuisse tamen, mirabile dictu!
Littora Massiliæ, et nullum amisisse suorum.
Atque alii comites alio per culta locorum
Dilapsi, et variis habitatas gentibus urbes,
Relligione nova populos ut luce carentes
Imbuerent: Mariam deserta atque invia fama est
Delegisse, cavoque famem tolerasse sub antro
Duris herbarum radicibus. Ipsa videtur
Asperitas convexa loci durumque cubile:
Indigenæ sacros cineres venerantur et ossa,
Et monstrant leviter signatæ frontis honorem.
Hic quondam Mariæ domus est habitata; sed illam
Multaque præterea sanctorum corpora patrum
Maximii nunc vicus habet, templumque superbum
Regis opus Carli, Mariæ qui condita terra
Ossa diu genti prius ignorata retexit
In somnis monstrante Deo, capitique coronam
Virginis imposuit, quam rex gestare solebat.
  Proxima Briniolæ regio fert optima poma,
Primaque suppeditat totum laudata per orbem,

Dulcis aquæ fontes, et non immitia vina.
In medio annosas ramis ingentibus ulmos
Erexere foro, vel agresti umbracula pubi
Mercatum quoties adeunt, vel civibus ipsis.
Transvehimur loca plana, tuumque, Caramio, pontem,
Venimus et Lucam vinique oleique feracem.
Hic nova res nostris oculis oblata, nec ulli
Visa prius. Siccus fuerat quod et aridus annus,
Quum prope jam ver esset, adhuc pendebat oliva
Arboribus, nec sponte sua ventisque cadebat:
Illam decutere, et longis tum cædere flagris
Multa resistentem Lucensis turba coacta est.
Haud procul Argenti pontem superavimus amnis,
In mare vicinum rapidis qui volvitur undis.
Hic Moia est turris, magni quæ Cæsaris iras
Sustinuit, donec legionibus undique septa
Cessit; at ex alto suspensum culmine vidit
Præsidium, et casu dignam meliore cohortem.
Inde Forum Juli parvam nunc venimus urbem:
Apparent veteris vestigia magna theatri,
Ingentes arcus, et thermæ et ductus aquarum;
Apparet moles antiqui diruta portus;
Atque ubi portus erat siccum nunc littus et horti.
Mane juga Esterli transcendimus ardua montis.
Napulus ad dextram nobis, et Grassa sinistram
Linquitur, et placidum superamus nave Cianam.
Proximus hinc vicus maris ipso in littore Cannæ,
Non illæ Annibalis Romano sanguine tinctæ.

Antipolis sequitur, Graio quæ nomine Graios
Auctores Graiiæque refert exordia gentis:
Mansit adhuc rari fornix operisque superbi,
Manserunt duri silices, et strata viarum
Necdum etiam detrita pedum pressuque rotarum;
Dulcis aquæ ductus, et Græco more theatrum,
Multaque saxa notis olim descripta Latinis.
In medium rupes extenditur ardua pontum,
Quam super Henricus multa vi muniit arcem,
Unde viri naves inimicas cedere ferreis
Et prohibere pilis a portu et littore possunt.
Millibus hinc sex Varus abest, qui flumine Gallos
Dividit Italia, Cema delapsus ab alto.
Cernimus optatam non jam procul inde Nicæam,
Ipsa quidem tota ad solem conversa cadentem
Et zephyri flatus, montemque amplexa supinum
Leniter in planum descendit, ad usque marini
Littoris exporrecta solum: quo mane frequentes
Conveniunt ex urbe viri nitidæque puellæ,
Conveniunt et sole diem claudente supremum,
Et pariter gaudent spatiari littore sicco.
Urbs hodie tantum mediis consedit et imis.
Namque supercilium, et summæ fastigia rupis
Nobilitas quondam atque ipsi tenuere ministri
Sacrorum, quibus hinc duri per tempora belli
Cedere compulsis, abiit mons totus in arcem.
Quæ nunc septa mari, et præruptis undique saxis
Imposita adscensus habet omni ex parte per orbem

Difficiles, ut vis subeuntem nulla repellat.
Pone fluit muros Palio rapidissimus amnis,
Multa boum atque hominum, quoties est imbribus auctus,
Culta ferox vicina trahens, tandemque sub ipsis
Mœnibus indignans vasti subit æquora ponti.
Hic situs urbis. Ager vero circumdatus altis
Montibus adsurgit sensim, formamque theatri
Efficit ex alto mare despicientis. In ipsa
Suprema regione, cavo fons manat ab antro,
Frigore fons tepidus, fons idem frigidus æstu,
Et per aquæ ductus veteres effusus abunde
Culta rigat variisque nitentes floribus hortos.
Atque alii passim rigui per gramina fontes
Læta fluunt, versantque molas et grana terendo
Comminuunt, parvis neque deficit humor agellis.
At Vediantinos versus duo millia tantum
Cemelium locus est plane desertus; in illo
Cernis adhuc non pauca tamen vestigia magnæ
Urbis, aquæ ductus, thermas, parvumque theatrum;
Nunc Franciscanis habitata sodalibus ædes
Sola jugum montis servat nomenque vetustum.
Nulla suo nautis in littore fida Nicæis
Est statio, sævum quoties mare fluctibus atris
Intonat, extremasque refusum volvit arenas,
Herculis ad portum (duo millia distat ab urbe),
Confugiunt: quo se quingentæ condere tuto
Velivolæ possunt hiberno tempore naves.
Hunc sine præsidio portum et custodibus ullis,

Omnibus expositum, quos aut sua cumque voluntas,
Aut fortuna vagos Libycis egisset ab oris,
Emanuel mira Filibertus muniit arte.
Nam laxi quum essent aditus, lateque paterent
Ostia, nec possent urgeri molibus ullis,
Propter aquæ rapidos æstus imumque profundum,
Nequidquam munimen erat positurus in ipsis
Faucibus, ingressu necquidquam aut arceat hostem.
Verum quid penetrasse juvat, magnoque labore
Devenisse locos, ubi nec consistere possit
Ulla viris quamvis instructaque remige classis?
Namque introgressam penitus portumque tenentem
Densa quatit grando telorumque horridus imber,
Et tormenta Jovis tonitrus imitata sonoros,
Quem bona castellis provisa duobus in usum
Copia. Quorum unum prope summi in littore portus
Ad dextrum latus est, et parvam protegit urbem;
Unde novum nunc portus habet quoque nomen ab illo
Acceptum populo, qui mœnia condidit urbis.
Unum monte super celso, qui scilicet inter
Herculis est portum medius, mediusque Nicæam,
Mons Bero nomen erat, sine muro atque aggere donec
Mons fuit; Albanum sed post dixere minores.
Singula nec possent portu satis esse tuendo,
Alternæ sed opis sunt indiga. Namque sub alta
Rupe jacens, propius glandes jaculatur ab æquo
Pene loco, et certos ideo mage dirigit ictus,
Sæpius inque ima defigit tela carina;

Sed longe lateque maris non prospicit æquor.
Quin etiam vacuum si quando insideret hostis,
Forte jugum montis, quod desuper imminet urbi,
Subdita telorum denso premat omnia jactu,
Castellum inferius, portumque et tecta domorum,
Nunc illi promittit opem et socia arma ministrat
Albanus tumulus. Loca nam subjecta minaci
Territat adspectu, et nullum consistere toto
Monte sinit terra appulsum vel navibus hostem.
Longum sit memorare quibus nos urbe Nicæi
Excepere sua studiis, quantaque sit illa
Lætitia celebrata dies, qua classis ad urbem
Appulit. Hanc primam cari deducta mariti
Est regina domum. Hic hiemem, quam longa, tepentem
Exigere est animus : superatis Alpibus inde
Vercellas statuunt aprilibus ire calendis.

AD FRANC. OLIVARIUM,

FRANCIÆ CANCELLARIUM.

Vobiscum Remos una comes ire parabam,
Quum me patronus fisci revocavit in urbem
Auditum Italicas rationes, utque præessem
Judicio, quod erat de furtis atque rapinis
Regis opum; nolens opera imperfecta reliqui.
Quid facerem? medio rationum examine Burgus
Quæstor in Arvernos propere discedere jussus.
Nil contra absentem nobis decernere visum est.
Altera Beloti dilata est quæstio morbo:
Is rem quæsierat princeps, causamque tenebat
Implicitam multis ambagibus atque latebris;
Longum cognitionem alii mandare fuisset.
Nunc equidem sine febre, parum sed corpore firmo est.
Sic fuit hæc mea vana reique industria nulli
Utilis, et tanto carui tamen orbus amico.
Nam facturus eram Remos iter hoc ego tecum;
Tecum perpetuo, via quam longinqua, fuissem.
At Lotharenum validi juvenesque sequentur:
Non ego, quem tardum et segnem facit ægra senectus.
Ille fugit, comitesque suos prætervolat omnes;
Ipse procul sequor; ad mensam tamen usque paratam
Mature venio. Quid enim? fortasse periclum est

Ut calidus sudansque bibam. Qui verterat ante
Nos aliquis, nec fronte magis tamen ille benigna
Excipitur, nec sede magis dignatur honesta.
Interdum et pateram fervens contingere plenam
Non audet, stomachi veritus laterisque dolorem ;
Et me jam saturo demum incipit esse placentam.
Sic neque dura pigris, neque sunt incommoda tardis
Omnia. Sed doleo divulsum me sine causa
Convictu, Francisce, tuo : nec deinde superba
Remorum vidisse foro spectacula, pompam
Sacrorum longam, missa et Ciboria cœlo.
Aureolum puerum, curam sobolemque deorum,
Sole magis nitido radiantem, heroas et illi
Bissenos, duodena latus velut astra, tegentes :
Regem ipsum nudis humeris et pectore nudo,
Remigii successoris genua ante volutum
Suppliciter, cui multa sacerdos rite precatus
Sacro nuda oleo perfundit membra, gravemque
Imponit capiti gemmis auroque coronam.
Insequitur plaususque virum, clangorque tubarum.
Ingens lætitia tectum circumsonat : omnes
Franciscum regem simul una voce salutant.
Hæc ego nec vidi, posthac neque spero videre.
Ut sint læta diu precor, ut felicia longo
Tempore, neve ullo turbentur gaudia luctu.
At vos rumor erat celsum procedere Barrum
Usque, nec octobris redituros ante calendas.
Certum est interea paulisper, dum licet, uti

Libertate mihi concessa, et visere nostro
Stampensi fuerit vindemia qualis in agro.
Ut me vel referam Germani ad nobile fanum,
Parisiam vel, eo si forte recurritis, urbem.
Aut ubi fons blandus pulchro dat nomina vico,
Aut Blæsis, aliove loco me denique sistam.
Quod si me nostri rationem poscitis oti,
Nil præter nugas et carmina vana feretis.

AD ADRIANUM TURNEBUM.

Me tam præclari noli, Turnebe, putare
Muneris oblitum, quod semper et omnibus horis
Contrecto manibus, morbi solamen acuti,
Atque libens utor tali tantoque magistro :
Unde legens disco veterum secreta librorum,
Aut revoco in mentem longos desueta per annos.
Quod si scripta juvant tua me tot pondere rerum
Oppressum, tanta curarum mole, senemque :
Maxima, crede mihi, juvenes curisque solutos,
Maxima venturos capiet quandoque voluptas.
Felix ille tua potuit qui voce Latinis
Institui Græcisque, haud ille requiret Athenas,
Haud Latium Romamque : beata Lutetia tanti
Moribus ingenioque viri. Sed, amice, futuris
Consule temporibus, scribendi multa laborem
Suscipe, nec dubita chartis mandare, sequentum
Quæ veniens ætas sit miratura nepotum.
Aude magnum aliquid, quæso, nam posse putamus,
Et veterem longo possessam tempore palmam
Extorque Græcis Italisque : ut propria sicut
Armorum, sic sit studiorum gloria nobis.

AD CAROLUM

CARDINALEM LOTHARENUM.

Dum tuus hic bellum germanus conficit armis,
Te cupiam causas istic præcidere belli,
Eloquio, pietate, quibus tibi gloria venit
Magna Deo : nullis hominum non cognita fama.
Dissidium namque hoc animorum, credere stultum est
Componi gladiis, aut ferro posse micanti.
De numero demes aliquot, fecunda malorum
Terra dabit plures, illo perfusa cruore.
Perficies etiam reliqui ne forsitan ausint
Conventus agitare suos, et obire sacella
Interdicta palam. Sed pressus et abditus ignis
Post quoque majores ruet usque ad sidera flammas.
Ac ne ideo cœptum hoc memet damnare duellum
Forte putes, atque hos etiam insimulare vel illos
Stultitiæve, malive animi, et crudelis acerbique
In patriam. Non hoc agitur nunc, major et ista
Carmine silva meo est, nec temporis hujus et oti.
Nunc mihi concedi satis est, non apta levandis
Istius esse modi nostris medicamina morbis :
Sive quod hic pacem nostræ fundator amavit
Relligionis, abesse procul nos jussit ab armis,
Vim sufferre, patique suos et verbera, et ipsam

Mortem morte sua docuit; nec cogere quemquam,
Nec terrere minis voluit, nec cædere ferro,
Sed potius mollire animos et pectora dictis.
Sive quod hanc animi, quod sit sine corpore, partem
Non chalybis, non ulla potest vis lædere ferri,
Irritus aut tenues conatus abibit in auras:
Lingua metu præsentis erit si muta pericli,
Vel mendax etiam, mens non mutabitur intus,
Proferet occulta in medium quandoque licebit.
Quod si principio vis unius insita nobis
Relligionis erat, neque nos alia ulla subegit
Causa viros excire tubæ clangore, negamus
Consilium placuisse Deo: peccavimus omnes,
Directaque via detorsit nos malus error.
« Nemo unquam bello melior fit, sive secunda,
« Sive mala infelix commiserit alite pugnam.
« Bella docent homines peccare, metumque deorum
« Excutiunt. Pœnas infernaque Tartara rident
« Hi quorum solis fiducia nititur armis:
« Proposita esse bonis in cœlo præmia rident. »
Tolle metum legum, rigidi legumque ministri;
Emicat, et nullo retinetur sica pudore.
Imbellem timidumque valentior exuit armis
Et vita zonaque; fugit dispersa relictis
Rustica plebs laribus, densæ, quæ proxima, silvæ
In cæcas penitus latebras altosque recessus.
Adde colonorum subjecta incendia tectis;
Adde etiam captas eversis mœnibus urbes,

Templa deum dejecta solo, cæsosque parentes
Natorum ante oculos, natos ante ora parentum;
Abductas matrum gremio sine more puellas,
Stupra maritarum divos hominesque vocantum
Nequidquam auxilio. « Sed inanes lenta querelas
« Sæpius ira deum longinquos reicit in annos. »
At neque victorem sexus nec commovet ætas
Supplicis, aut lacrymæ genua ante superba voluti:
Nullos ille deos, nulla aut delubra veretur.
« Quem vero fortuna ducem non prospera vertit?
« Quem non ante bonum quamvis animique potentem
« Altius evexit rapidis victoria pennis? »
Ut se contineat dextro Jove natus; at illi
Sunt tamen arbitrio comitum facienda suorum
Multa, malus vultu quæ dissimulare magister
Cogitur, et tandem fiet dux milite pejor.
Hos addunt animos victoribus arma. Quid autem,
Quid miser ille bonis prorsus spoliatus, avito
Pulsus agro? Miseros una cum conjuge natos
Exsilii secum comites agit. Utque leæna,
Cui sub rupe cava parvi stabulantur alumni,
Fertur acerba minans pecori pecorisque magistris:
Haud secus ille suos cernens periisse labores,
Exhaustam cellam, vacua horrea frugibus, omne
Instrumentum agri et villæ cum bubus ademptum,
Nil adeo superesse, famem quo pellere possit;
Nec tam mente suum reputans quam conjugis atque
Natorum exitium, subito capit arma furore

Non assueta prius : quicumque fit obvius illi,
Notus an ignotus refert nihil, hostis, amicus,
Sternit, et insontem spoliat, nudumque relinquit.
« Agresti ingenio nihil importunius usquam est. »
Quid nostros homines templis arisque deorum
Abstinuisse manus argento credis et auro?
Ac mihi de nostris sermo est. Nam scimus et illos
Templa sacerdotum calido fœdasse cruore,
Ossaque jam vita functorum extracta sepulcris
Projecisse solo, plumbi liventis amore.
Hæ scelerum facies bellis civilibus ortæ
In pejus mores hominum vertere, deumque
Excussere animis; cujus, paulo ante, tuendæ
Causa majestatis, uterque exercitus arma
Ceperat, aut dici potius cepisse volebat.
Me puero quidam noster popularis habebat
Hoc proprium, ut securus iter nullo duce lævum
Carperet, inque viam quum se commiserat, idem
Admonitus nunquam regredi vel flectere vellet,
Turpe nimis ducens cœpto desistere cursu.
« Est adeo gratus suus insipientibus error. »
Quam melius medici, qui quo nihil ante priora
Profecisse vident, adhibent contraria; leges,
Decepti, medicas artemque valere jubentes.
Hoc nos illa modo nuper quæ cepimus arma,
Ponere ne pudeat, hominesque errata fateri,
Et magis apta malis quæ sunt medicamina nostris
Quærere; non longas armare in littore naves,

Non equitum peditumque externa adducere longe
Auxilia adversus patriam; non oppida muris
Cingere, præsidiisque tenere minacibus arces;
Non jugulare viros, laqueo vel stringere fauces,
Vicini aut rapidis immergere fluminis undis.
Quanam igitur ratione animis discordia nostris
Tolletur penitus, si nec victoria finem
Allatura mali est; si ponere præstitit arma,
Unde salus veniet non exspectata, quis hujus
Et quis erit monstrator opis? Deus ille Deoque
Natus erat, qui prima suis dum viveret olim
Discipulis mandata dedit, quæ deinde nepotes
Acciperent, levia haud quaquam vel parva reponens
Præmia. Namque illos patrio succedere regno
Jussit, et optivi cognominis auxit honore;
Degeneres alios Satanæque Ereboque reliquit.
Ille suos igitur vivens moriensque fideles
Æterno comites sociavit fœdere pacis:
Ille prius veniam superos pacemque precari
Nos docuit; tum deinde velut quibus unus et idem
Omnibus in cœlo genitor mortalibus esset,
Omnes instituit fraterno vivere more,
Alterius tanquam propriæ meminisse salutis,
Et nullum esse gradum, nullum discrimen amoris.
Jussit consilio miseros opibusque juvare,
Erranti monstrare viam quæ ducit ad astra.
Ac ne vita inopum despecta potentibus esset,
Unius amissæ pecudis nos ponere curam

Et studium reliqui voluit gregis ante salutem;
Et, quod naturæ longe disconvenit, hostem
Diligere, invitumque etiam servare, tueri,
Conciliare tibi, quamvis hunc perdere possis.
Si flecti nequit ille tuo sermone capique,
Huc alios adhibe: si restitat improbus illis,
Concilium patresque voca. Non pluribus unus
Par erit adjunctis, non tot feret ora loquentum.
Si nihil ista valent, sine vivat solus, et omnis
Sanctorum in cœtu divini muneris expers.

Hic primum datus ordo simul quum tradita nobis
Relligio, longos illæsus mansit in annos:
Necdum ullos animis fratrum discordia motus
Excierat. Divina colebant simplice cultu
Numina; ritus erat simplex, atque omnibus unus.
Ecquid enim tanto dubitent adstante magistro?
Nec Deus ipse tamen non viderat ante futura
Dissidia, et simul ac terris excederet, iri
Distractum in varias sua turpiter agmina sectas.
Illi ipsi qui verba fluentia vatis ab ore
Audierant, præcepta sequi diversa docendo
More hominum cœpere; aliis, ut sæpe videmus,
Assensere alii. Levis hæc discordia quamvis
Infirmam et teneram potuit disperdere gentem,
Ni mox consilio seniorum oppressa fuisset.
Multa sequens ætas hominum portenta deinceps
Deteriora tulit, quæ non sunt ense recisa

Herculeo, non pulsa dolis, aut fraude virorum;
Sed vitæ exemplo, precibus, sermone potenti,
Congressuque patrum. Nihil unquam durius illi
Decrevere, nisi in lapsos semel atque relapsos:
Pœna tamen vel summa fuit, prohibere scelestos
Templi aditis, sanctoque piorum excludere cœtu;
Ulcisci gladio miseros vel inutile prorsus,
Vel gratum non esse Deo placidumque putarunt.
Quo mihi tot versus, quid vel malesanus abutor
Auribus usque tuis? perdove jocosus inersque
Ponendas melius studiis communibus horas?
Desieram versus jampridem scribere, cœpit
Scribendi me rursus amor, dum forte Chenossam
Invisit regina suam natosque minores.
Speravique etiam fore te mihi non minus æquum,
Quam memini primis te mensibus esse vel annis;
Et mala nos movere etiam præsentia, multo
Illa quidem majora prioribus, et tibi visis;
Et locus admonuit, qui te nunc, magne sacerdos,
Detinet absentem patria procul, urbe Tridento.
Næ tu næ frustra Rhodanum superaveris amnem
Alpinasque nives, patriam dimiseris ipso
Temporis articulo, qui pene est ultimus ægræ,
Ni promissa facis, ni pestem a corpore pellis,
Qua graviter jamdudum ecclesia tota laborat.
Cura velim et ratio præpostera ne sit, ut ante,
Semper adhuc. « Consulta malus bona subruit ordo. »

Formandi mores primum, doctrina sequetur.
Sic faciles animos ad suscipienda parabis
Omnia : « nequidquam malecultæ semina terræ
« Optima credideris : lolium pro fugibus illa
« Aut tribulos referet. » Tris aut prope quatuor annos
Undique delectos tenuit Constantia patres ;
Profecere nihil : mora nam quæsita regendis
Moribus est nova semper, ut actus is ultimus esset.
At Martinus, ubi summum est indeptus honorem,
Continuo Romam Lavinaque littora fugit,
Legatos regum atque ducum frustratus hiantes.
Quid pater Eugenius? Quum se committere nollet
Judicio fratrum, spoliatus honoribus absens
Excivit turbas, servos et ad arma vocavit,
Conductis operis synodum litemque diremit.
Hic si forte suis melior majoribus, audet
Arbitrio princeps alieno stare, patresve
Si cupiunt ipsi vitam mutare priorem
Scribis uti, pax est toto sperabilis orbe,
Nec te longinquis istuc venisse pigebit
Finibus, immensosque viæ cepisse labores.
Sin ficta ista vides ac non sincera fuisse,
Et neque speratum potis es contingere finem,
Te nobis comitesque tuos refer ocius, ante
Quam missos præco faciat ; ne forte puteris
Aut vidisse parum, aut ventis mandata dedisse
Ambitione mala, spe vel corruptus inani.

Has quoque te dignum est tenues parvasque tueri
Relliquias : Francorum at si contraria rebus
Obstant fata, boni est, quum fecerit omnia, civis,
Nolle tamen cineri patriæ superesse cadentis.

AD MUSAS.

Musæ, quas primis colui devotus ab annis,
Vestra minus vester si nunc ad templa sacerdos
Ingredior, si vota minus solemnia reddo,
Ne me ideo, ne me ingratum vitæque prioris
Oblitum quæsisse novos credatis amores.
Quos etenim potius sequar hac ætate? quibusve
Incipiam tam sero aliis servire magistris?
Vos hilarare senem, vos pressos pondere rerum
Curarumque animos solæ recreare potestis.
Quid causæ est igitur? Post Majas scilicet eidus
Nos habet aurata respublica compede vinctos;
Cui minime parere nefas, ejusque parenti.
Ad me si jubeam, vestro non usque pudori
Conveniat, vestrisque negetis moribus aptum.
Vos fora, vos cœtus fugitis, vos splendida regum
Atria; vos nemora et silvas, quo nemo recurrit
Interpellator, præfertis honoribus aulæ,
Contentæ facilem numeris includere versum.
Id me si prohibent immensa negotia, tempus
Nec datur exacte scribendi temporis ullum;
Unum oro, nobis unum concedite, Musæ,
Et legere et præbere aliis recitantibus aurem,
Unde labor nullus veniet, mora nulla gerendis

Rebus erit: melior mens ipsa quiete futura est,
Acrior et positis repetet mox seria ludis.
Ut quondam multas certando athleta coronas
Promeritus; tamen invalido nunc corpore quamvis
Ludentes alios medio spectare theatro
Gaudet, et antiqui lætatur imagine ludi.
Sic ego, quam nequeo nostris e rebus, ut ante,
Ferre voluptatem, capiam haud fortasse minorem
Scripta etiam pejora meis aliena legendo.

AD CAROLUM

CARDINALEM LOTHARENUM.

Carole, sinceri videar male functus amici
Officio, graviterque nimis peccasse, dolorem
Si non ipse tuum, transacti ut temporis olim
Gaudia, participem. Quid enim tibi prospera paulo
Amplius ad laudem tribuit fortuna benigne,
Cujus ego in partem meliori sorte vocatus
Non fuerim? Tua mi patuit domus intima semper,
Nec tua, nec fratris mihi gratia defuit ullo
Tempore. Cum vestra pariter succrevit et aucta est
Res mea; crevit honos cum vestro noster honore.
Non ingratus ad hæc, potui quæ solvere, solvi
Qualiacumque libens manibus tibi carmina plenis,
Carmina divinas fratrum memorantia laudes
Pace tibi partas, fratri florentibus armis.
Carmina persolvi; nec enim mihi munere tanto
Merces digna fuit, nec quid largirer habebam.
Nunc Deus, humanis nihil ut durabile rebus,
Quando nos tanto percussit vulnere, quantum
Speravit nec vestra domus, nec Gallia, quamvis
Sentiat iratum longo jam tempore Martem,
Haud decet in majore tuo fidissima casu
Pectora deesse tibi; si quid mea carmina possunt,

Possum si quod, egens solaminis ipse, levamen
Ullum afferre tibi, luctum si demere luctu.
Incipiam solito et populari more querelis
Respondere tuis; si nil vulgaria prosunt,
More sacerdotum proprio, depromptaque sacris
Argumenta feram tibi non incognita libris.
Natus homo periit, quænam tibi causa dolendi?
Omnibus est ea lex præscriptaque regula, quidquid
Nascitur, intereat permenso fine necesse est.
Non illi propria æternumve fruenda per ævum,
Non alii cuiquam concessa est vita; sed ejus
Qui dedit arbitrio mansura sequentibus annis
Quam volet ille diu, nec fas mortalibus ultra
Ferre pedem, fatisque negatas quærere causas.
Hanc si jure suo dictam sine tempore legem,
Ante exspectatum veniens exercuit; et si
Nil aliud causæ suberat, tamen opto doceri
Quæ fraus, quæve tibi est injuria facta, vel illi?
Multa quidem fieri temere plerisque videntur,
Et sine consilio; ratio quibus at sua constat:
Sed Deus occultam voluit mortalibus esse.
At tanti capitis gravior jactura fuit, quam
Mille virum, nullique adeo tolerabilis uni.
Magnum morte tui fratris respublica damnum
Fecit: ut amisso quondam pupilla parente,
Solave defuncto mœrens ut conjuge conjux,
Aut si res alia gravioris imagine damni
Signari potuit. Dolor hic partitus in urbes,

Oppida, privatasque domos, et millia sparsim
Multa virum, loca tot spatiis divisa colentum:
Debuit esse tamen levior, facilisque ferendo.
Ut si tempestate gravi communiter omnes
Jacturam faciant, non est gravis illa perinde
Ac quum de proprio fit tantum unius acervo.
Tu vero tanquam justa plus parte recepta
Communis luctus, alio non æqua ferente,
Præcipuo mœrore jaces affectus, et uni
Credis, amice, tibi plus omnibus esse dolendum.
Scilicet ille suis animal ut inutile tantum
Natus erat, non et patriæ, non denique regi.
Atqui tanta viri virtus, et libera morte
Debuit, et nullis obnoxia casibus esse.
Sed neque vis animi, nec corporis ulla tueri
Quemquam sæva potest adversum spicula mortis.
Nec tutata sua est sapientia Davide natum,
Nec potuit Samson oculos subducere morti,
Nec satus Alcmena, fidentes viribus ambo,
Nec qui divitiis præstant opibusque tyranni
Mortem ipsam fugient. Omnes Acherontis avari
Præda sumus, lethique viam calcabimus omnes.
Mors fuit at matura nimis, matura videtur
Semper, et opportuna bonis mors omnibus æque
Puberibus, pueris etiam senibusque; nec ullo
Definita homini certo sunt tempora vitæ
Curriculo, trahit huic, alii mors corripit annos.
Ille mihi satis ille diu vixisse videtur,

Cujus honesta fuit non turpis clausula vitæ.
Non tibi poma legi solida atque integra videntur
Auctumno melius, quam quum jam sidere tardo
Frigoribusque vieta, cadentia sponte, leguntur:
Jam medium vitæ spatium confecerat ille,
Qui nostri est hodie cursus longissimus ævi.
Hic flos delibatus adhuc florentibus ipsis
Corporis ingeniique fuit si viribus, acta
Præteriitque etiam vitæ pars optima, necdum
Gaudia turbavit melli permixtus amaror,
Quo petimus stulti spatium protendere vitæ?
Quæve hominis reliqua est ætas nisi plena laborum?
Præterea toto plagas acceperat ille
Corpore, multum etiam pugnans effuderat olim
Sanguinis: effœtum porro invalidumque senecta
Exceptura fuit; morbi simul agmine facto
Innumeri, quales secum gravis attrahit ætas,
Illius exiguas vires animamque tulissent.
Omnia quæ fugit moriens, nec longius annos
Produxit, quam vita solet jucunda videri.
Integra bellum est etiam decedere fama,
Linquere florentis titulos laurumque virentem.
Sæpe quibus prima favit fortuna juventa,
Deserit illa senes, gaudetque illudere longo
Successu rerum tumidis, et vertere pulchre
Facta tot ante dies momento temporis uno.
Non ignota tibi libris exempla Latinis,
Hæbreis pariter Græcisque adducere possem,

Et Cyrum, et Judam, et regem Lacedæmone claudum,
Pompeium, Crassumque: nec istis Gallia nostra
Testibus exemplisve caret (sed parcere malo
Nominibus) qui si fortuna forte secunda
Oppeterent, merito felices atque beati,
Hoc vitæ spatio quamvis breviore ferantur.
Nam si peccatum semel est, nihil illa priora
Quamvis multa juvant; et mentibus altius hæret
Ultima quæque recens postremi infamia facti,
Quam veteres partæ magna cum laude coronæ.
Indignum vero tantum virtutis honorem
Imbelli cecidisse manu, tacitisque petitum
Insidiis, quem Marte invadere nullus aperto
Audeat. Id vero fatum commune viris est
Fortibus. Ipsa viri virtus invicta subegit
Rem tentare dolis. An quisquam Cæsare, magno
Illius aut genero, Romæve auctore Quirino
Fortior? Incautos dolus hos tamen abstulit omnes,
Pelidem, et similes ejus quicumque fuere.
Nec minor ex isto fuit illis gloria casu.
Ergo non insueta lues indigna virisque
Fortibus, aut non illa suo mors tempore venit.
Nec tibi præcipua est lugendi causa, vicem ni
Deploras lugesque tuam; solumque relictum
Occiso te fratre doles, nec ducere vitam
Suave putas tanti privatum lumine fratris.
Ista, vide, ratio satis ut sit honesta: dolere
Interdum alterius damnis conceditur; at non

Flenti erepta sibi sua commoda parcimus æque.
Tu vero divina, puer, qui dogmata sacris
Fontibus hausisti, quæ nunc tibi suaviter ore
Mellifluo manant attentæ plebis in aures,
Tu revoca in mentem sapientis verba magistri,
Qui fraterna sibi maternaque nomina junctis
Sanguine vix tribuit. Sed eos pia numina sancte
Qui colerent, summi facerent mandata parentis,
Discipulos digito monstrans, hi sunt mihi fratres,
Hæc mihi mater, ait. Quid patris morte recenti
Audita, veniam comitum quum posceret unus
(Justa videbatur curandi causa paterni
Funeris), ecquid ei tum rettulit? O bone, mecum
Hoc age, dum superas unum hoc age, luce carentes
Et victa functi, sine mortua corpora curent.
Noluit expertes prorsus nos esse doloris
Qui Lazarum flevit, longi sed tempora luctus,
Clamores nimios, lacrymosaque verba notavit,
Ut forti nec digna viro. Nam vivere sanctas
Qui credunt animas extincto corpore, rursumque
In sua post longum redituras corpora tempus,
Semper ut in cœlis vita meliore fruantur:
Corporis affectum hunc anima sensuque carentis
Rectius appellent somnum placidumque soporem,
Quam qualem subeunt animalia cætera mortem.
Defunctos igitur qui luget, sive propinquos,
Sive alios, stulte aut recubantia molliter ossa
Prosequitur lacrymis, aut non satis ille videtur

Credere susceptura novam post corpora formam.
Quæ decursa animo quum sint tibi, nota magisque
Unguibus illa tuis, nisi re præstabis, abuti
Omnes te studiis et inania fundere verba
Clamabunt. Quam tu culpam vitare memento.
Quid si propositi immemorem vitæque prioris
Ambitio quum ferret, ut optima quæque videmus
Ingenia immodico traduci laudis amore,
Te Deus ancipiti diversa negotia mente
Amplexum, sacris operam modo ponere rebus,
Commissique gregis voluit succedere curæ,
Quum reges et regna tuis constricta teneres
Consiliis, ferresque tuum super aurea nomen
Sidera, nec tantum caperet jam Gallia civem?
Ipse tibi causas, animum quoque fratris ademit
Morte tui, quo major erat fiducia vivo,
Sicque duas animas pariter servavit in una.
Quæ mens, et quis erat tibi spiritus, aurea quando
Transiit ad Rhetos fraterni fama triumphi?
Tum veluti longum fortunæ victor in ævum,
Et tanquam pedibus premeres humana superbis
Omnia, nec quidquam tibi rerum obsistere posset;
Divitias et regna tuis usumque parabas
Æternum et solidum, vitamque labore carentem:
Inscius hæc nec quæri armis, nec posse teneri.
Intentans etiamque minas, et longa locorum
Exsilia; intentans extrema pericula victis,
Et jam distribuens vacuos victoribus agros,

Distribuens aliis ereptos victor honores,
Hæc tu more hominum secura mente putabas.
Nam paucis moderata fuit victoria; pauci
Parcere subjectis animo potuere virili.
Aut tua si te nota mihi clementia tale
Nil patitur versare animo, fortasse ministris
Succumbas aliud suadentibus, et bona mentis
Propria sustineas alieno victa furori
Cedere. Civilis vitium commune duelli.
Nunc pietas verusque Dei tibi cultus in ore est,
Pascendi nunc cura gregis; nunc otia laudas,
Nunc invisa Deo funestaque prælia damnas
Et cædes hominum; nunc et secedere Remos
Instituis cum docta hominum placidaque cohorte,
Cum veterum libris, quorum tibi copia magna est.
Quæ duo si conferre velis pugnantia valde
Consilia, invenias tantum præstare priori
Posterius, quantum melior pax aurea bello.
Non visum est superis hanc vita et sanguine causam
Decidi, ferroque homines decernere acuto,
Utra deis pars grata magis, moremne placeret
Antiquum retinere, novumve inducere templis.
Fratris erat tam magna tui, tam cognita virtus,
Ut cujus dux ille fuisset partis, in illam
Concessura simul fuerit victoria partem:
Non ideo belli cupidus fuit. Otia vivens,
Otia laudavit moriens velut optima; sed qui
Fidebant illo comites ductore, duellum

Malebant potius, capti dulcedine prædæ.
At Deus hanc regni sortem miseratus ab alto,
Insontem hanc animam meliori in sede locavit,
Et multis hominum vitam dedit unius emptam
Morte viri, tristemque luporum e faucibus escam
Eripuit. Sua non isti succedere plorant
Consilia: in cœlis securus at ille malorum
Ridet, et amissæ nolit se reddere vitæ.

Hæc si ferre tibi luctum minus omnia possunt,
Illa precum saltem jamdudum tradita nobis
Formula te moveat, qua nocte dieque solemus
Compellare Deum: rata sit tua nempe voluntas
In cœlo et terra. Cujus perquirere causas,
Aut etiam placitis obsistere velle superbum est.

Plura tibi, nimis ista licet, ne scribere possim,
Impedior magnis et multis, Carole, rebus;
Impedior lacrymis, et copia deficit, et non
Convenit inculcare tuis puerilia doctis
Auribus argumenta, nisi hanc, ut semper, amori
Das nostro veniam tristis seu lætus, et omnes
Versibus esse meis faciles venientibus horas,
Omnia amicorum communia tempora ducis.

SERMO.

Ut qui se tecto, aut saxo dejecit ab alto,
Haud facile in lapsu medio se sustinet, ima
Dum petat, et prono terram gravis opprimat ore;
Sic vehit elato quemcumque per aera curru
Ambitio : non ille potest retinere fugaces
Certus equos, medio vel in æquore sistere cursum;
Fertur at invitus quo se permisit, et alis
Icarus ut præceps delabitur igne perustis.
Forsitan at laudis, venia sit digna, cupido
Ingeniis ferme melioribus insita semper,
Et sublime volans animi vis, nescia cuiquam
Cedere, seu major, seu par se comparet illi :
Hactenus ut vir præesse viris velit, atque subactos
Imperio regere. At vero si pergere tendet
Altius, atque sua superos detrudere sede,
Divinosque sibi demens apposcet honores,
Sentiet ille brevis cœlestes numinis iras,
Terribiles sonitus dejectaque fulmina cœlo,
Aut aliud dirum pœnæ genus; et neque speret
Placari dein posse Deum, quem offenderit ultro.
Ipse sui vindex et inexorabilis ultor
Numinis est; nec quemquam hominum patiturve deorum
Æqua sorte sibi tanto succedere regno.
Sed cur nos vetera hæc? Deus est nam fabula nobis,

Et multos Epicurus habet lutulentus in aula
Discipulos passim, multos et in urbe, ferentis
Mortales animos una cum corpore solvi;
Et nullos cœlo esse deos, aut capere segnes
Otia, nec curam nostrarum assumere rerum.
Nam sentire modo hæc, impuneque dicere nostris
Moribus occipiunt, legumque in nostra relictis
Hostibus antiquis conversus viscera mucro est.
Attamen et Christi nomen prætexitur aris
Omnibus, et nostram Christi de nomine gentem
Dicimus, ac vulgo dominumque Deumque fatemur:
Nos rerum species et nomina sola tenemus,
Nomina propter opes, et quos ecclesia fructus
Suppeditat dominis felicibus ubere cornu.
Nemo te appellet, nemo te, Christe, sequatur
Nudum inopemque: tuos tua membra sitique fameque
Spernimus enectos, nec potu escave levamus.
Belligerare tamen vitamque exponere causa
Jactamus nos posse tua, nec parcimus ullis
Sumptibus, ut Christi numen gens omnis adoret.
O vafer ingenii! sperasti credere dictis
Posse tuis hominem quid te modo noverit ullum?
Nomen habes tantum, quid habes at cætera Christi?
Non tua facta vides simulatam prodere vitam?
Si tibi rem salvam fore sponsor idoneus olim
Promittat, certumve habeas nil prorsus acervo
Delibatum iri, te bello et pace futurum
Incolumem, non te commoris ut omnia prorsus

Templa solo delapsa ruant, pedibusque trahatur
Relligio. Stat nam pro relligione tibi res.
Quid vero, quid tu hos pullo qui vestis amictu,
Aut alio quovis, nec enim color omnibus unus,
Quum tristi facie intendunt lacrymantia cœlo
Lumina, seque viam clamant monstrare salutis,
In mediisque cient verborum fulmina templis:
Quidnam agitare putas animo, quo tendere cursum,
Et quid propositi, quam spem mercedis habere?
Divitias aurumque petunt, et publica fisco
Æra dari, et magnis cum fructibus aurea templa:
Quæ simul ambitione sua studioque tulere,
Dilapsos videas pictis excedere templis;
Ex illaque die conscendant pulpita nunquam,
Vocem edunt nullam ad populum, nisi ut, aucupis instar,
Auribus et reges capiant et regis amicos.
At tetram ingluviem ganeis infamibus explent,
Vino, deliciis, fœdaque libidine pleni.
Sed me dulcis amor patriæ, justumque novorum
Regum hominumque odium fixa hæc mutare volentum,
Et sincera Deo pietas et debita regi,
Abduxere procul sermonis tramite cœpti.
Ut redeam, sua, commoneo, bona quisque fruatur,
Vivat quisque sua contentus sorte: nec illas
Quas aut non didicit, quas non conceditur, aut quas
Dedecet, ** temerarius appetat artes.
Quam semel optasti, quæcumque vel obtigit olim,
Hanc cole semper, ama semper, nec desere Spartam.

Si plebs sacra velit tractare, profana sacerdos
Impius est : si sævus equis, si gaudeat armis,
Sive malis hominum, seu præda et sanguine fuso,
Si statuit patriæ muros, si vertere gentem,
Si veteres pulsare novosque inducere reges,
Si vexare Deum cœli terræque potentem,
Immanem furiam dicas, os præter habentem
Nil hominis, qualem vates finxere Chimæram,
Scyllas, latrantemque canino more Charybdim.
Hæc tamen hæc Franci portenta feruntque videntque,
Illius antiquæ obliti virtutis avorum :
Ipsa suos coluit semper quæ libera reges,
Respuit externos, nec cuiquam ferre negavit
Auxilium populo pro libertate roganti.
Tunc animos pascebat honor, tum vera duelli
Præmia ducebant regis populique favorem :
Nunc emitur miles magno, nunc transit ad hostem
Conditio melior si fertur et amplior illi.
Unde malum hoc? Ab eo nempe est qui dividit aurum,
Corrumpitque animos turpi mercede redemptos.
Quo nummi, aut istis cui tanta potentia nummis
Quæritur? A fisco est desumpta pecunia : regis
Presidio miles simulatur et arma parari,
Pro quo mille mori cupiant vel mortibus omnes,
Omnibus objiciant pro quo sua corpora telis.
Ergo non regis metus est, aut cura salutis,
Cura suæ potius. Quid enim satis esse tyranno
Tutum securumque potest expersque timoris?

Quid si etiam simulatque metum, fingitque periclum,
Ut patriæ muros armatus et occupet arcem?
Hic gradus, hæc ratio fuit omnibus una tyrannis,
Ut se præsidio, communibus atque juvari
Auxiliis peterent, ea protinus arma virosque
In patriam vertere suam, durumque subactis
Civibus imposuere jugum. Quæ nos mala nunquam
Antehac experti, nostris non posse putamus
Accidere, ac si æterna forent immotaque, regnis.
Ergo prospicere et longe ante cavere memento,
Impediunt regredi quia plurima sero volentem,
Et ne demersumque paludibus, inque volutum
Cœno ulvaque caput nequidquam attollere tentes;
Aut rapidas flammas, et quem succenderis ignem,
Mox si pœniteat, ne non restinguere possis;
Et semel inscenso vel equo rapidisve quadrigis,
Ne premere ac retro nequeas vestigia ferre.
Quod si stulta duces audacia longius actos
Extulit, ut nequeant medio consistere cursu;
Hos saltem moneo comites scelerisque ministros,
Quos dolus aut falso species objecta bonorum
Impulit in fraudem, mature immania cœpta
Deserere, integris etiamque abscedere rebus:
Ut dejecta sua mala mens spe, et viribus orba,
Concidat, auctoremque suum modo pœna sequatur.

SERMO.

De libertate scribendi.

Scriptorum quosdam libertas, et stylus audax
Oblectat, vitiumque severa voce notatum
Alterius; plerosque juvant sine felle molesti
Nullis versiculi, quales scribuntur in aula.
Diversa hæc, ratio tamen ut sua constet utrisque.
Nam mores hominum scriptis formare legendis,
Et vitia extirpare animis, labor Hercule dignus:
Verum ingratus eis, sua qui recitante poeta
Agnoscent scelera, aut de se dici illa putabunt.
Cautior is quicumque virum demulserit aures,
Aut levibus nugis, aut corruptrice bonarum
Laude voluntatum, nec quemquam offenderit unum:
Quæ ratio, quia blanda nimis, fortique videtur
Haud condigna viro, nobis explosa recedat.
Sed neque scribendi satiram, tetroque notandi
Carmine personas quas designaveris, auctor
Esse velim. Modice laudentur facta virorum
Fortia, culpentur modice, aut, si postulet usus,
Vis adhibenda etiam vocisque animique dolentis:
Ne tamen appelles proprio vel nomine quemquam,
Aut ita significes, ut postquam dixeris, omnis
Ardentes oculos cœtus convertat in illum.

Nuper Aretinus Venetæ se clauserat urbis
Mœnibus, unde, velut celsa sublimis ab arce,
Omnes Europæ reges figebat acutis
Incessens jaculis et diræ verbere linguæ:
Atque illum missis omni regione tyranni
Placabant donis. Tantum mala vatis avari
Lingua potest. At ei claræ tutela nec urbis
Profuit, Ionio longe regnantis in alto,
Non circumfusæ miserum texere paludes,
Quin meritas læso pœnas exsolveret orbi
Terrarum, dignum vel haberet carmine funem.
Nobis Attellana vetus comœdia nobis
Displicet. Omne velim sit castum et lene poema,
Sit mixtum gravitate, vacet risu jocisque:
Qualis sermo fere est media testudine templi
Ad populum magno quem personat ore sacerdos.

DE BELLO CIVILI.

Sive malum hoc, Pandora, tuum, vindictaque furti
Nobilis, ad seros permanans usque nepotes;
Seu genus infelix, Ereboque et Nocte satarum
Incubuit terris, et sævi peste veneni
Infecit late populos, ac mutua sparsit
Inter nos odia et belli civilis amorem;
Seu mens cuique sua est nutrix fomesque malorum,
Urimur invidiæque occultis ignibus intus,
Urimur ambitione gravi, simul ardor habendæ
Augendæque rei mentes inflammat avaras.
Inde, velut corvi, Harpyiæve, aquilæve rapaces,
Quas metus immundæ semper famis anxius urget,
Expellunt alias omni regione volucres,
Nec parcunt propriis, tanta est vesania, pullis;
Aut multis canibus quum forte paropside in una
Objicitur cibus, hunc trahere ad se mordicus omnes
Contendunt : siquis melior tum viribus, illo
Vi potitur, reliqui circumstant murmure magno,
Ereptamque petunt per mutua vulnera prædam:
Sic homines vel opum cupidi, vel rursus honorum,
Præsertim a magno quæ rege secunda potestas,
Mille dolos, et mille vicissim retia tendunt,
Mille modis certant alienum extinguere nomen:
Ut soli jactare caput videantur in aula.

Scinditur in varias domus omnis regia partes.
In medio nullis antiqua lege Solonis
Esse licet : quicumque nec his, nec adhæserit illis,
Hostis erit, referetque odium suspectus utrisque.
Ipsi autem proceres nunquam discedere regis
A latere : huic adstare diem, quam longa, per omnem,
Largiri atque auferre quibuslibet; omnia nutu
Dispensare suo, solis committere amicis
Imperia, et summos populorum atque urbis honores.
Jam reliquos prohibere domo, prohibere benigni
Principis adspectu; jam, quæ fœdissima res est,
Criminibus fictis absentis rodere famam,
Dum longinquus abest, et dum securus honorum
Vel privata domi, vel publica munia tractat.
Turpe duci magno est, etiam deferre nocentem
Criminis, et regum mulcere his vocibus aures :
Flagitium, premere insontem et sine crimine vitam.
Tu vero, qui te priscis heroibus ortum,
Unius et magni comitum descendere Carli
Progenie jactare soles, dux maxime bello,
Princeps pace domi, cujus respublica nutu
Statque caditque, potens et regni et regis, eo te
Dejicis usque, tui atque tuorum oblite bonorum,
Ut tibi non in honore pares, quos jam tua dudum
Immoderata feroxque superbia ferre recusat;
Verum etiam tenues et adhuc sine nomine, spurco
Ore tuo laceres, turpis delator in aurem.
Ex hoc conjectare licet quam cætera recta

Consilia in patriam tua sint : qua mente fideque
Communem ipse geras hodie rem, et gesseris ante.
Semper enim tibi cura malos conquirere servos
Prima fuit, servosque doli scelerumque ministros.
Et se nemo tibi probus unquam addixit, ut illo
Momento, quo te leviter cognoscere cœpit,
Non mox colligeret sua vasa, pedemque referret.
Talia discordes animis dum prælia miscent,
Privatasque tuentur opes, communia sensim
Robora deficiunt velut ægro in corpore vires,
Et turpi neglecta cadit respublica letho.
Hinc velut effusi duo montis vertice rivi
Lenis aquæ, circum viridantia prata feruntur
Ambiguo cursu, et sinuosis flexibus errant,
Donec ab alterutro bibat omnis flumine campus.
Haud aliter primum nascens ea pestis in aula
Corripit omne hominum late genus, atque per urbes
Perque domos effusa venenum dissipat, inter
Pacatosque serit discordia semina cives :
Nobilitas omnis, judex, patronus, et ipsa
Partibus alterutris plebecula vilis adhæret.
Sic divisa bicepsque domus quum principis esset,
Convenere alii velut ad duo signa minores,
Perpaucis adeo mediis licet esse, quietem
Securam vanos ponentibus ante favores.
Sunt etiam nullis adjuncti regis amicis
Officiis, tantumque sua virtute recepti
In numeros, qui non minus ipsi hoc nomine solo

Injustis odiis inimica a parte premuntur,
Quam si sponte sua contraria castra subissent.
Si quis honoris apex, aut si quis in urbe legendus
Forte magistratus, designant ante futurum
Unum aliquem florentem opibus, vel amore potentum.
Hic, si vincet enim candentis factio panni,
Prætor erit; si purpureus color obtinet, ille.
Cura tuendorum tam valde est cuique suorum
Insita, communisque rei neglectus : ut ægrum
Indocto siquis malit concredere corpus
Atque rudi medico, aut nautæ committere navem
Non satis experto pelagi discrimina, verum
Sanguine, vel patria, juncto vel amore, vel usu,
Artificem notæ fideique excludat, et artis.
Atque his tanquam in centurias classesque tributis
Judicibus, quis se patrono opponere tali
Ausit, et in mediam descendere stultus arenam?
Cui parent fasces, et prætor, et omne tribunal,
Arbitrioque suo qui dat, vel tollit honores,
Cujus sexcenti veniunt ad jussa clientes?
Judicium est: vincit meliorem gratia causam,
Ingenuumque proterva pudorem audacia vincit.
Næ lingua hic pugnare, manuque in jure foroque
Conserere haud paulo melior, quam ducere in hostem
Armatas acies, et aperto occurrere campo.
Utque minus multas hic cepit ab hostibus urbes,
Quam vicos, et opima tenet quæ prædia fraude
Vicinis erepta suis, turbaque coacta

Disertorum hominum, et corrupti judicis astu.
Nimirum tales illi ante leguntur in usus :
Hoc domino referunt accepti munus honoris.
Malim nos, agitur quoties respublica, malim
Nos inimicitias et ponere jurgia, donec
Utilium fiat delectus in urbe virorum,
Cujuscumque tribus atque ordinis ante fuissent.
Quod si forte duos inter certamen honoris
Inciderit, par et meritum virtusque duorum est,
Illum, cui fortuna tuæ dedit esse cohortis,
Quique tui gregis est, nec turpem ferre repulsam,
Prælatumque alii nemo reprehendere possit.
Quanquam nemo suæ tam partis amore tenetur,
Quin magnis aliquo post tempore possit ab illa
Disjungi meritis, et in hanc concedere partem.
Acer erat bello juvenis calidusque juventa
Bantius, et claris Nolæ majoribus ortus :
Hunc prius ad Cannas, cæsorumque inter acervos
Seminecem inventum curaverat, atque benigne
Cum donis et muneribus dimiserat ab se
Annibal in patriam : cujus non immemor ille
Ingentis meriti, quærebat tradere Nolam
Annibali; sensit Marcellus prætor, et illum
Conciliare sibi officiis, quam tollere pœna
Maluit. Ergo hominem verbis appellat amicis,
Non ignota sibi, dicens, quæ fortia facta
Ediderit; quot Romanis stipendia castris
Adversus Numidam vel Pœnum fecerit hostem.

Pro quo, magna, solent tribui quæ fortibus, illum
Præmia commeritum, simul ipsi corpore pulchro
Donat equum, pressos bigarum et imagine nummos
Quingentos, longeque ostendit plura daturum,
Atque potestatem secum fore semper agendi
Quum velit, et faciles aditus et limen apertum.
His juvenem dictis sic in pejora ruentem
Vertit, ut ex illo respublica tempore civem
Sit nullum factis meliorem experta fideque.
Sic nova spes veterem detrudit, et ultima quæque
Respiciunt homines vulgo benefacta: velut quæ
Solis amant radios herbæque sequuntur euntem.
Ut tibi nulla tamen referatur gratia facti,
At pulchrum est inimicitias donare saluti
Communis patriæ, pulchrum deponere partis
Quemque suæ vehemens studium, ac communibus omnes
Conspirare animis, et in unum cogere vires
Ad patriæ curam, quæ nos genuitque fovetque,
Quæ nos ipsa suo complexa est nomine dulci,
Nostraque conjugia, et natos, et quidquid habemus
Præterea carum, quidquid vel dicere nostrum
Possumus. Unde etiam patriæ superesse cadenti
Illa diu nequeunt; nam singula posse teneri
Nequidquam speres amisso corpore membra.

AD ARNOLDUM FERRERIUM.

Ferreri, quo nec melior, nec doctior alter
Venit Aquitanis a finibus atque Garumna,
Te nunc legatum Venetis decedere ab oris,
Et retro in patriam vestigia flectere dicunt,
Post regi navatam operam tris amplius annos;
Ecquid erit præmi? faciet regina beatum,
Si sapit, et primos tibi rex mandabit honores;
Obstiterit nisi fama tuæ virtutis et acres
Invidiæ morsus, quæ plurima regnat in aula,
Invisumque hodie crimen commune bonorum.
Verum, inquis, docuit te lex divina carere
Posse bonis, vanosque hominum contemnere fastus.
Recte : si coram poteris præstare quod absens
Promittis. Sed dura nimis sunt ora ferendo
Istorum, qui se prognatos Hectore dicunt,
Quorum atavi mercatores scribæque fuere;
Aut si qui magnis orti majoribus, ipsi
Degenerant, et nulla suis in moribus edunt
Signa, nihil referunt patriæ aut virtutis avitæ.
Ipse ego jam longo cui frons occalluit usu,
Duratæ belloque manus, ad prælia semper
Certamenque novus venio, nec talia possum
Dedecora ulcisci, latere aut depellere regis.
Audio. Vel tristis repetes subsellia judex,

Aut claram studiis Trojani Antenoris urbem,
Quæ primum nostros olim conjunxit amores;
Aut aliquo fugies, ubi nec cogare tueri
Quæ minime nolis, et quo neque gesta ferantur.
Sic adeo tectus vives, ut vivere nemo
Sentiat, et clausum obscuro putet esse sepulchro.
At non, Ferreri, tam parvo animoque remisso es,
Ut rem destituas communem, et publica turpi
Damna fuga cumules, ignavi militis instar.
Verum ut te nemore in denso, aut in valle reducta
Abscondas hominum procul a conspectibus, omni
Seposita rerum cura: tamen ipse quietum
Interpellabit vicinus, et otia rumpet,
Vel tua nocturnus prædo versabitur intra
Septa domus, finesve tuos injustus arabit,
Intendet litem, vadimonia coget obire,
Inque forum retrahet. Sic nullus in orbe quietem
Dat locus. Ipse sibi facit otia quisque vel urbe
In media plenoque foro; nec turbidus ille
Quum fuerit, ventis et tempestate carebit,
Quamvis Hesperidum spatietur solus in hortis.
Sed tua quo virtus non sese attollet, et unde
Non sese expediet disruptis libera vinclis?
Tu quocumque loci deveneris, ut locus ille
Sit vacuus, sit perpetua caligine pressus;
Luce tamen propria lucebis sole nitenti
Purior. O tecum liceat consumere vitæ
Quod superest, animamque sinu deponere amici!

AD VIDUM FABRUM.

Vates ille tuus simul importunus haberi
Cœpit, in has latebras et devia senta recessit,
Pelopidas ubi non vultus, non ora videre
Cogitur. Æternas habeo sanctissime grates
Phœbe tibi, Musisque novem, quæ demere curas,
Ægrotoque animo potuistis reddere somnos.
Non ego solus in his metuam, nec solus in altis
Arcadiæ lucis media vel nocte vagari;
Non metuam fictis ut ne desertus amicis
Solus rure meo figam vestigia, solus
Nocte domum redeam. Mihi vos mihi namque dedistis
Noctes atque dies cantando ducere, Musæ:
Quamquam lectorum comitum bona copia dudum
Nobis est provisa domi, bona copia rure.
Nam simul explosis placuerunt seria ludis,
Socratici præsto mihi sunt schola docta Platonis,
Una prius divisa locis, et deinde magistris;
Paulus et his valde melior, quique ejus alumni
Libris ostendere suis incognitus ante
Quis Deus, et qua sit nobis pietate colendus:
Sin ludicra, leves omni regione poetæ
Concursant, et dulce ferunt ad sidera carmen.
Tot sunt, tam variæque animi sapientis in omni
Laude voluptates, ut non sint plura jocosis

Ludorum genera. O rectę illis si sciat uti,
Si bona tot congesta domi semperque parata
Nosset homo penitus, quam cætera parva putaret!
At mihi Diogenes Cyrenæque urbis alumnus,
Diversis ambo studiis peccasse videntur :
Ille quidem veræ non libertatis amator,
Dum mundum atque elegans vitæ genus odit inique ;
Hic regum mensas et dum convivia laudat,
Vestirique nimis pretiose curat et ungi.
Est aliquid medium : quod si tenuisset uterque,
Hic et deliciis, et sordibus ille vacaret.
Namque erit æternum mihi felix atque beatus,
Qui placuit magno et sapienti pauper amico;
Præsertim virtute sua si fretus in altum
Contendit, celsique fores patefecit amoris.
At constans et perpetuo mansura videtur
Gratia, quam primum virtutis opinio junxit,
Quæ mox officiis vires accepit honestis :
Ut neque pauperior locupleti blandius unquam
Palpetur, nec dives egenum flagitet ultra
Fas licitumque. Vides hominum quam cara benignis
Vita diis, quam sit natorum utrique parenti
Cara salus : tamen hi sua non in amore requirunt
Commoda. Nam teneris genitor quid speret ab annis?
Quidve potens rerum Deus a mortalibus ægris?
Idcirco leges uxorem interque maritum
Dona vetant, ne sit venalis gratia lecti,
Deteriorque bonis meliorem pellat avitis.

Ac primos homines tales in amore fuisse
Credibile est, intacta priusquam virgo relictis
Justitia excessit terris cœlumque petivit.
Hoc primum veri specimen monstravit amoris
Et natura dedit: morem corrupit honestum
Utilitas, vilique hominum mens dedita lucro.
Nunc se quisque viro, putat a quo posse juvari,
Tradit, egestatem quo sublevet atque labores;
Nobilibus tenues, locupletibus æris egeni:
Ut graciles alia suspendit ab arbore ramos
Non potis ipsa solo sursum se attollere vitis.
Quid miseri faciant? Sunt unius omnia regis
In manibus, dare solus opes, dare solus honores
Ille potest. Ut totus ab uno flumine pagus
Haurit aquas: sic omnis ab uno Gallia rege
Et petit imperia, et fasces, et quidquid honorum est.
Quis tantum per se regem privatus adire
Audeat? insuetumque aliis non ante ministris
Et ducibus prætentet iter? Non vivida virtus
Quamlibet ipsa viam possit cursumque tenere,
Ni præcursores habeat sibi regis amicos.
Accipe nunc autem pravum locupletis iniqui
Ingeniumque animumque trucem, moresque superbos.
Inflatus longo comitum grege, provocat iram,
Provocat invidiamque hominum superumque deorum,
Contemnit miseros, et tanquam vilia ducit
Mancipia, haud memor unde, quibusque adscendit in altum
Artibus et studiis, quam sit locus arduus omnis

Lubricus, et quantas homini det sæpe ruinas.
Nec nunquam his interpretibus scelerumque ministris
Ad prædas et lucra domum cogenda superbam
Utitur, et præfecturis et honoribus ornat:
Quo magis ipse magisque suo regat omnia victor
Arbitrio, fiat quo nulla potentia major.
Si quis erit potior, cui sit pulcherrima virtus,
Hoc mihi nil opus est, alium sibi quærat amicum,
Non mihi non tales operas, non talia, clamat,
Posco ministeria. Exclusus dimittitur ille,
Ejectaque mali tollunt virtute cachinnum.
« Felices vero nimium nimiumque beati,
« Qui potuere bonis animos compescere rebus,
« Et servare modum. » Sed fortunatus et ille
Quem sic respexere dii, cui talis amicus
Contigit, ut tenuis mala ne contemnat amici,
Et bonus in medium sua conferat, ut quasi patris
Unius heredes communiter illa fruantur;
Qui tanquam positis versatur honoribus, æquo
Jure domi tecum patitur sua dicta refelli,
Communis tecum ludos et seria miscet,
Te vocat in partem studiorum, suscipit ultro
Sollicitus curamque tui, rerumque tuarum,
Teque suæ raro mensæ dignatur honore,
Et matutinum vespertinumque remittit
Officium, nisi res aliudve poposcerit usus;
Nil adeo vetitum, nil turpe, minusve decorum
Imperat, orando facilis, facilisque jubendo;

Et quem vel sua res, vel publica distinet, illum
Quam volet usque diu fert non invitus abesse,
Suspicione vacans animus, nec crimina fingit
Ipse, nec oblatis aperit sermonibus aures.
Talem Diogenes si sit expertus amicum,
Non temere et passim tenues ab amore potentum
Avocet, et regum sapientes arceat aula.

Est in amicitiis solers adhibenda legendis
Cautio, sive humilem, seu magnum quæris amicum;
Nam partem peccatur in hanc, peccatur in illam.
Sæpius in magnis opibus celsaque vacillat
Fortuna malefidus amor, dum splendida plebem
Nobilitas, inopem dum spernit dives amicum.
Cum bove non asinus, cum dispare non coit impar,
Se nisi summitat major, prensumque minorem
Sublevet. At quotus is qui non assurgere malit?

Sunt et signa tamen quibus hunc dignoscere possis,
Quæ servata referre gradum, aut inferre monebunt
Non obscura: tegi quia nescit tempore longo
Insanæ vitium mentis, simulataque virtus
Ejicit immensam mox exonerata laborum
Congeriem, positoque ruit furiosa pudore
Improbitas animi; namque acrior arte repressæ
Impetus esse solet. Sicut torrentis aquæ vis
Major erit, lapides si cursum et saxa morentur;
Aut effrenis equi, foribus qui fugit apertis,
Excussumque equitem multa prosternat arena.

Fons et origo boni tamen est sapientia, quam qui

Nactus erit, semper sedato pectore vivet,
Nec sibi, nec turbas aliis dabit; omnia magnis
Diis accepta feret, sua nec majora videri
Nec meliora volet, factis dictisque favebit
Alterius, nec laudem alieno crimine quæret.
Verum illud nihil insipiente ferocius esse,
Nil gravius domino; quod si vecordibus ausis
Attulerit socias conjuncta potentia vires,
Exitiale malum miseris impendet amicis:
Insano tanquam jubeas si tradere ferrum,
Hos modo, nunc illos feriat discrimine nullo,
Ceu quondam furiis atque œstro percitus Ajax,
Esse putans hominum, pecudum qui colla secabat.
Quum semel humanos hominum natura piosque
Exuit affectus, et tantum agreste ferumque
Restitit ingenium, sit tigride sævior omni
Bellua, solam hominis retinens conversa figuram.
Adde merum venis, oleumque infunde camino,
Non graviora suis incendia faucibus Ætna
Projicit, ignivomi non et juga celsa Vesuvi.
Difficile ingenuo alieni ferre furoris
Indomitam rabiem atque atræ convicia linguæ.
Non ego spem tanti redimo: mihi pluris in urbe est
Unà dies transacta licentius inter amicos,
Rure vel in spatiis camporum, aut ilicis umbra,
Quam volucres fumi gerræque loquentis inanes,
Et dubia promissa fide, ventosaque verba.
Atqui nonnullos istorum ferre videmus

Ingenium moresque. Ferunt, quicumque pusilli
Sunt animi, quibus est libertas infima rerum:
Davus ut haud dubitet plagas et verbera dorso
Ferre libens, ut mellitam voret ante placentam,
Eque resignata pleno bibat ore lagena.
Stat magno spes illa nimis, quæ dextera raro,
Sæpe sinistra cadit; frustrati deinde queruntur
Incusantque deos, et se mala plurima passos
Rebus adhuc dubiis incautos ante futuri.
Clauditur hac plerumque tragœdia fine; sed horum
Nemo vicem doleat, qui se venientibus ultro
Involvere malis, præclara et vana sequuti.
Ille sua talique indignus sorte, furentem
Qui metuens, oppressus in ipsis retibus hæsit,
Nec potuit celeri quamvis evadere cursu.
Vir bello fugiens ipsos incurrit in hostes
Sæpius, et vitare malum nequit arte magistra,
Quin nudus Siculis jaceat Palinurus in undis.
Hæc me tempestas provectum longius alto
Si quando fractis excepit turbida velis,
Nec contra obniti remis datur ulla potestas:
Huc tanquam in portum fugio, nullique recurro
Cognitus ad silvam, quæ cædua desiit esse,
Postquam sacra novem Musis Phœboque dicata est,
Concessuque novi domini est adolescere cœpta.
Hic aliquid scribove legove, aut cogito semper;
Hic vivo qualem primi vixisse feruntur
In terris homines mundi sub origine, vitam

Contentus parvo, quod mi prius ipse paravi,
Cum bene morigeris natis, et conjuge casta,
Vera fruens intincta nec ullo gaudia felle.
Nubibus interea pulsis et sole reducto,
Tu mare turbatum tranquilla fronte serenas.
Ast ego sicut avis quæ longis imbribus intus
Clausa sedet, liquidas exspectans luminis auras,
Tandem sole novo se proripit: haud secus ipse
Nec desiderium vestri, nec ferre quietem
Ultra posse ratus, meditor jam solvere portus;
Rursus et incipio regredi gestire, pericli
Immemor, incertoque iterum me credere ponto.

AD ARNOLDUM FERRERIUM.

Tam varia atque incerta vagatur epistola quam res:
Hic sunt, Ferreri, variæ, modo nubere fratri
Regis, dotalesque suos regina Britannos
Et regni titulum nomenque afferre marito
Dicitur: ac jam stare paratas littore naves
Fama fuit, proceresque Anglorum occurrere lectos;
Postridie tabulæ solvuntur et irrita pacta.
Neutrius hæc culpa, inter seque feruntur amare:
Sed sponsi comites patria discedere nolunt,
Exsiliumque vocant; alii sua robora vires
Imminuique suas metuunt, si forte resumptis
Inter nos iterum stulti concurrimus armis,
Experti duce sit quantum virtutis in illo.
Femineis etiam juvenilem, ut sæpe videmus,
Blanditiis animum mutari posse verentur.
At rex, Parisiis jam post sua terga relictis,
Ibat in Armoricos venatum, quod ibi saltus
Magnarum plenos narrabant esse ferarum.
Hanc alii regem falso prætexere causam,
Borbonios juvenes amplecti velle, marisque
Præfectum: quo nil mage formidabile nostris
Divitibus. Nam Castilio si tangere dextram
Regis, et instillare duo aut tria in illius aurem
Verba datur, quas ille sibi regnoque parari

Audiet insidias, quæ circumstare pericla:
Ni tandem somno velut experrectus ab alto
Asseret imperium patriæque sibique, volentes
Et populos reget ipse manu, clavumque tenebit,
Quem puerilis adhuc ætasque infirma vetabat.
Hic proceres nostros vexat timor intus et angit.
Ergo omnes studio incumbunt vehementius omni,
Incœptum ne pergat iter rex, multa relinqui
Commoda namque docent, redeuntibus affore multa.
Vincitur a multis nimirum incallibus unus
Duplicibus. Redeunt usque a Galeone Mocellum;
Et nunc fontis habent regem deserta Bleaudi.
De nobis quoque rumor erat, neque vanus, et ore
Principis exceptum pavidam turbaverat aulam
Nescio quid. Simili compressus et is metus arte.
Sic mihi libertas dono concessa deorum
Illibata manet: rident tamen usque maligni,
Quis sua res privata, gemunt quis publica curæ:
Publica nemo adeo, Ferreri, publica curat,
Et patriæ regisque in nullo nomen honore est.
Si videas nostræ (pudet hoc adscribere) gentis
Nocturnos aditus, furtiva locisque remotis
Colloquia æterno Franci cum nominis hoste,
Ferreri, ducas suspiria pectore ab imo,
Et quisquis vel regis amat, patriæve salutem.
Sed desiderium nolo tibi tollere nostri,
Proxima quod nobis tua monstrat epistola. Namque
Si vicina meo tibi villa parabitur agro,

Si te convictore frui socioque licebit,
Cætera abesse animo tulerim non invidus æquo,
Et levior fuerit tolerabiliorque senectus:
Tum reliquum faciemus iter jucundius una
Ad cœlos, ubi certa quies promissa beatis.

LIBRI QUINTI FINIS.

MICHAELIS

HOSPITALII

GALLIARUM CANCELLARII

EPISTOLARUM SEU SERMONUM

LIBER SEXTUS.

MICHAELIS
HOSPITALII
EPISTOLARUM
LIBER VI.

AD VIDUM FABRUM.

Tu me posse putas quantum potuere priores,
Quantum ego, dum fortuna fuit: sed gratia regum
Instar apis volitat quæ circum florida rura,
Nunc huic, nunc alii blandos adspirat amores,
Floribus et notis post paulo inimica recedit.
O, spes qui posuere suas in regibus olim,
O stulti nimium, quorum fuit omne placendi
Auribus atque oculis studium! fugit illa voluptas,
Et delatorum satias subit; ipse recurrens
Sæpe sonus citharæ lassatas afficit aures.
Quin etiam interdum sese rex colligit alto
Experrectus uti somno qui perfricat ora,
Et veris fictos secernere discit amicos;
Odit quos etiam dilexerat ante, dolosæ

Compertos fraudis, nec ludificarier ultra
Se patitur. Melius qui pulchra et plena salutis,
Libertate sua moderate et comiter usi,
Consilia in medium proponere regibus audent.
Non illi meritis veniunt ad præmia semper
Digna suis: raro quoniam vel fortia reges
Consilia accipiunt, vel libera mentibus æquis,
Et molli blandoque magis sermone trahuntur.
Sic optabilior nebulonis vel parasiti
Sors erit, atque loco decedere coget honestum
Insontemque virum; qui non invitus abibit,
Invitus non ille domum parvosque penates
Et patriam repetet; sed dulcibus exiget ævum
Cum natis, cara cum conjuge, liber et omni
Ambitione vacans, urbis contemptor et aulæ.
Causa fugæ justum solatur honesta dolorem,
Et mens ipsa sibi nullius conscia culpæ.
Ipse ego, sive jubent discedere, sive manere,
Seu me consiliis adhibent, seu longius arcent,
Utrumvis obeam placidoque animoque libenti,
Pensans damna bonis. Minor est si gratia regum,
At minus invidiæ est, odii minus atque laboris.
Nec tibi, nec prodesse tuis potes: hoc quia feci
Dum potui, nulla est hodie mea culpa, sed ejus
Immerito fasces mihi qui detraxit inanes.
At nos ambitio tenet arcta compede vinctos,
Ut servum hoc vitæque vagum genus anteferamus
Natali patrioque solo, placidæque quieti.

Novi qui cumularat opes sub regibus amplas
Majores Crasso, villas exstruxérat usque
Ad cœlum nitidas: tamen illi mors erat unum aut
Alterum abesse diem conspectu regis et aula,
Tanquam si solis radiis et luce careret.
Interea vereor paucis dum mensibus absum
Occupet ut sedes alius, clausisque revertens
Excludar foribus, mihi sit migrare necesse.
Tantalus isne tibi, vel Phineus esse videtur,
Quem Diræ mensa prohibent epulisque paratis?
Quid gravis ille senex discedere jussus ab aula,
Et signum flavamque alii concedere ceram,
Num sese afflixit tanto depulsus honore?
Demisitve animum? Non ille, sed ut catus olim
Mercator, patriam post tempora longa reversus,
Quamvis jacturam partis fecisset in alto,
Relliquiis fruitur pelagi securus iniqui.
Sic noster simul atque domum se contulit, artes
Ingenuas repetit missas jam tempore longo,
Et studiis animum reficit, semperque legendo
Scribendove aliquid Musis et Apolline dignum,
Aut virides lauros, aut coniferas cyparissos
Inserit, aut lento pinus sudore fluentes:
Felix depositum si non cupisset honorem
Sumere, et in medios iterum se tradere fluctus.
Exsilium nulli domus est sua, præter inertem
Si quis agat vitam somno vinoque sepultam;
Aut qui nullius studii capiatur amore,

Vespere solem optans orientem, mane cadentem.
At serere, et legere, et lætas intra horrea messes
Condere, vina cadis haurire domestica plenis,
Ordine maturos positis decerpere fructus
Arboribus, pingues subducere matribus agnos,
Lactentes torrere sues, et chorte petitas
Gallinas media festis apponere mensis,
Aeria geminos deducere turre columbos,
Et laqueis captare feras, et fallere visco
Incautas volucres, pullos educere nidis,
Piscare, librumve manu servare tenentem
Retia, et ad captam cursu contendere prædam:
Mille voluptates aliæ, quas rustica vita
Dulcis habet, longe urbanas superare videntur
Atque Palatinas omnes. Huc Palladis artes
Et longo doctrina parata accesserit usu,
Qua possis hiemem longas et fallere noctes;
Et pietas et vera Dei cultura potentis,
Cui bona tot gratis animis accepta feramus.
Hæc ita sunt. At posse negas hoc tempore vultum
Ferre superciliumque hominum, qui te ante beatum
Florentemque diu rebus coluere secundis:
Nunc subito spernunt mutata sorte jacentem.
Quanquam vir fortis nunquam jacet: altius imo
Erigitur contra, pressusque resurgit, ut arbos,
Texuntur Græcis victoribus unde coronæ.
Nam quem nullus honos, quem gloria nulla superbum
Altius evexit, nec fors contraria pellet,

Dejicietve gradu; sed utrisque videbitur idem
Temporibus, neque re sapiens mutabitur ulla.
Nec vero metues salsæ convicia linguæ,
Non magis irato quam si canis adlatret ore.
Eventus ergo meditemur et ante futuros;
Et quæcumque mari tempestas atra vel alba
Incubuit, præsente animo fortique feramus,
Persuasi rapidis Aquilonibus omnia ferri.
Omnibus ista fuere, et sunt communia regnis,
Ut firma et stabilis sit nulla potentia, pendet
Quæ regum libito: mala sunt hæc propria nostri
Temporis. Ipse bona rex præditus indole, mater
Regni et regis amans: sed in illo spernitur ætas,
Sexus in hac; quando procerum ad se quisque supremam
Vim trahit imperii, cædemque malumque minantur.
Nos miseri, quibus infirmæ ad certamina vires,
Libertatem animi vocisque tenemus: at ipsa
Virtus paucorum scelere est vitioque ligata.
At tu sume animos, et viribus auctus et armis,
Carole, jus repetens puero tibi nuper ademptum,
Perge istos pestem patriæ delere tyrannos:
Perge supra stantes gladios removere bonorum
Faucibus et jugulis, ut libertate recepta
Gaudeat, et domino tibi Gallia serviat uni.

AD JACOBUM CORBINELLUM.

Corbinelle, libens te plus fruar omnibus uno,
Præsentisque animum sermone oblecter amici,
Si ratio, si res utriusque et tempora ferrent:
Verum in luce, hominumque juvat te vivere cœto,
Et colere antiquis habitatas civibus urbes,
Aut dare te comitem germano regis; agelli
Cultor ego exigui, quem rex dedit, annua præter
Commoda, quæ largo tribuuntur maxima fisco.
Atque, ut longinquis in amoribus esse videmus,
Nostra locis disjuncta quidem sunt corpora: verum
Conveniens et pene voluntas una duorum est,
Nec sors dissimilis prorsus: nisi quod breve nobis
Restat curriculum, tibi vix media incipit ætas.
Tu servare modum nosti prope solus in aula,
Et præferre bonas inhonestis quæstibus artes;
Tu prius in patria meritos quam lætus honores
Acciperes, prima sensisti tela juventa
Invidiæ, primoque obstantia limine claustra.
Nam præcox ut erat tuaque annos ante diemque
Virtus, sic etiam tua præcoqua fata fuere.
Multi, non obscura dares quum signa futuræ
Virtutis, cupiere orientem extinguere lucem;
Nec tamen abruptus virtutis cursus eunti,
Quamvis se fortuna tibi contraria ferret.

Me tardum et lentum mea sors et crescere sivit,
Et demum est aggressa senem, solioque superbo
Dejecit, sanctum inque merentem dicere nolo:
At fidum legum custodem, at regis amantem,
Et patriæ cupidum, at studiosum pacis et oti.
Hunc adeo casum nostri flevere propinqui,
Et luxere velut defunctum et luce carentem:
Nil miserabilius vivis contingere nobis
Unquam posse rati, longo quam tempore gestos
Nullo deinde suo merito deperdere honores,
Et laudi superesse suæ; tristemque senectam
Exigere in tenebris longe soloque recessu,
Fortunæ retinentem insignia nulla prioris.
Quam levia hæc collata bonorum cædibus atque
Exsiliis! Ego sum discedere jussus ab aula:
Non tamen in Pontum, non ad Garamantas et Indos;
Sed rus vicinum, atque ipsis sub mœnibus urbis
Pene situm, rus longe his usibus ante paratum:
Quo bene de patria meriti post maxima bella
Victrici confecta manu, post templa deorum
Consiliis servata suis, pro munere magno
Dimitti petiere, velut commune laborum
Perfugium, et placidam fessis ætate quietem.
Quanto plura Deus, quanto majora reliquit,
Quam fraus quæ nobis et vis inimica tulere.
Quantulus hic labor est, quanta mercede repensus
In cœlis, si vera Dei promissa fatemur.
Ac nostros debent animos nihil ista movere,

Si calcata Deo sequimur vestigia, duram
Primum difficilemque viam, plenamque laborum,
Qua sola nostris animis penetrabile cœlum.
Sed jam spe fretis vitæ melioris iniquum
Hoc iter et rectum paulatim mollius esse
Incipit, et jucunda viæ super ultima fiunt.
Fac tamen hoc etiam vel non mediocre, vel ingens
Esse malum, privari adspectu regis et aulæ,
Exsiliique domum, aut alio concedere causa:
Non tamen aut mihi præcipuum est, aut accidit ante
Nulli alii, imo etiam est optabile nobis.
Nam quæ adeo virtus, sive hanc respublica, sive
Regnum habuit, longos unquam duravit in annos
Incolumis? Quæ vim potuit perferre malorum?
Multa tibi possim proferre exempla petita
E veterum libris, nostra ipsa his nec caret ætas.
Vidimus, haud ignota loquor, nostrisve remota
Temporibus, multos post longam operamque fidelem
Navatam patriæ summa virtute, coactos
Cedere soricibus tandem tineisque palati,
Qui numerus faciles solet ingens rodere fiscos:
Quo minus in nobis subitum mirabere casum,
Præsidio nixis modico contra aspera rerum.
Nil fixum aut stabile in terris. Sua fata quibusdam
Sera venire solent, aliis prævertere tempus.
Interdum nostris oculis obducitur error,
Et mala quæ nobis atrocia sæpe videntur,
Non re sunt eadem, quin sæpius et bene vertunt,

Et mutata solent nobis afferre salutem :
Ut vomica hostili ferro est adaperta quibusdam.
Experto mihi crede, ipsis obsistere durum est
Principiis, verum proclivia deinde sequentur
Omnia. Namque pares nobis cuicumque ferendo
Sufficit ipse Deus vires animosque labori.
Non tamen ille manus victus dabit, armaque ponet
Continuo humani generis vetus hostis : at omnes
Aggreditur, tentatque vias artesque nocendi.
Exsilium potis es perferreque damna bonorum,
Fortis et adversum majora pericula surgis,
Nec dubitas ipsam pro Christo exponere vitam :
Non ideo confide, tuis securus inersque
Viribus; imo etiam atque etiam circumspice, ne te
Decipiat serpens, et imagine ludat honesti.
Sæpe bonis nimiam studiis rebusque potenter
Navantes operam, sed non ratione modoque,
Gloria, amorque sui, vel perdidit inscius error :
Monstratum cœlo per iter seu tendere nolunt,
Sive Deum quærunt humanas nosse per artes.
Sexcenti prope sunt anni, quibus exsule Paulo
Regnat Aristoteles ipsa intra tecta domumque
Christi, simiolæque aliæ peregrina gerentes
Pallia : Græcorum schola, non ecclesia Christi
Illa fuit. Non sic, non sic, vetera illa priorum
Lumina doctorum : quibus est si forte necesse
Chrysippi, aut aliquod placitum laudare Platonis,
Aut veteris numeros et verba citare poetæ,

Præfantur veniam : non quin prius illa tenerent
Pubere vix mento Græcis accepta magistris,
Aut quia prorsum alios vellent prohibere legendis
Græcorum scriptis, didicissent quæ prius ipsi;
Sed parce timideque suis tradenda putabant,
Quæ Paulus multo præceperat ante caveri.
Ne, sicut perhibent Sirenum cantibus, aures
Simpliciorum hominum scriptis caperentur amœnis.
Quam me tot frustra meliores pœnitet annos
Verbis impendisse magis, quam rebus, et instar
Picarum veteres imitari voce Latinos
Conatum, aut Græcæ modulos et carmina linguæ.
Res abiere : ego balbus et infans turpiter hæsi in
Grammaticis, pueri quæ matris ab ubere quondam
Suggere, vel dictata rudi nutricis ab ore
Excipere a teneris primaque ætate solebant.
Tum Græce laus nulla fuit, vel scire Latine:
Non mage, quam nostræ cui sit facundia linguæ
Nec plausus, nec honos hodie conceditur ulli,
Et tantum studii tam parva ponitur in re.
Me torquent hodieque senem scholia addita libris,
Et Pollux, et Festus, et innumerabilis ista
Natio scriptorum, claris inimica bonisque
Ingeniis. Tam dirus amor studiumque loquendi est.
Quidam sanati narrans divinitus ægri
Historiam, nota illa refugit : Tolle grabatum,
Verba, velut scopulum, atque alia his subdenda putavit
Dura minus : cui tum doctusque piusque sacerdos,

An vero Græce Christo scis Hebraiceque
Tu melius? Non aut potuit legere optima quæque
Verba Deus, fandoque omnes superare disertos?
Quod si porticibus nomen quæ secta recepit,
Quæ sapere imprimis plusque omnibus una videtur,
Res adamat, non cassa et inane sonantia verba :
Quid nos par facere est sobolemque genusque deorum,
Qui res humanas omnes discrimine nullo
Despicimus, vitamque aliam meditamur olympo?
Ergo ne schola nos sapientum fallat inanis,
Neu benedicendi studium : sapientia mundi
Vana tumet, vera et solida est sapientia cœlo.
Illam adeo quicumque suis adquirere tandem
Viribus, ingenii vel acumine, posse putarunt,
Ut pueri cecidere; obscuris inque tenebris
Erravere diu, velut orbi et luce carentes.
Namque Dei summi virtutem, ut cætera, dono
Accipimus : virtus alia omnis vix tenet umbram
Illius, haud veræ virtutis nomine digna.
Quo mihi tot veterum libri, si nec Deus illis
Auctor virtutum, nec discitur ipsa legendis
Virtus, et via me recta quæ ducat olympum?
An non verior est vox et sententia Pauli,
Qui præter Christum nihil est se scire professus,
Christum supplicio et servili morte peremptum?
Verum etiam, crassis homines et pinguibus ire
Altius ingeniis, et vi perrumpere cœlum.
Discipulos Christus non urbe foroque petivit,

Non Academeiæ spatiis, superive Lycei
Delegit his sex comites, qui mystica sacra
Gentibus efferrent, prius ignorata, profanis.
Piscatu tenuem quærebant æquore victum:
Nulla sub urbanis docti præcepta magistris.
Hi tamen effusi per vicos, oppida, et urbes,
Omne genus paucis hominum cepere diebus,
Reges, et populos, et summa atque infima quæque
Retibus inclusere suis. Ea retia captos
Eripuere malis, prædæque fuere saluti.
Ipse Deo genitus grates egisse parenti
Dicitur, et magnum vivens testatus amorem:
Pro quo res longa penitus caligine mersas
Magni arcana Dei rudibus patefecerat atque
Indoctis hominum; despecta obscuraque vulgi
Ingenia anteferens sapientibus atque superbis.
Hæc tibi Parisia qui nunc versaris in urbe,
Carnutum vacuo scribebam solus in agro,
Nascens sponte dedit buxus cui plurima nomen.
Sed quicumque locus nos est habiturus habetque,
Corbinelle, iter hoc, seu longum, seu breve, cincti
More viatorum carpamus, et illa putemus
Denique vera Dei vitæ promissa futuræ:
Cætera prætereunt, siccis ut sæpe videmus
Purpureos anni flores arescere pratis.

AD VACCAM ITALUM.

Vacca, tibi multis frons est inarata genæque
Impressæ rugis: nobis hoc amplius, albi
Crines, et mento propendens barba senili,
Surdæ aures, lippique oculi, male olentiaque ora,
Et calvum sine honore caput, maciesque medullas
Ossibus et toto depascens corpore succum;
Præteriere dies et tempora læta juventæ,
Deterior tacitis obrepsit passibus ætas.
Tempus utrique, velut post longa pericula nautis,
Moliri in patriam reditum, dispansaque vela
Contrahere, et stabili tandem consistere portu.
Vacca, fuit noster gravis et longissimus error,
Plurima quo nobis sese obvia monstra tulere,
Quam varia Ionio vix conspiciuntur in alto.
Quando igitur patria atque domo, longisque locorum
Divisi spatiis, pariter convenimus ambo
Buxum, qui pingui Carnutum vicus in agro,
Consulere in medium atque una decernere par est.
Namque levis nec res agitur, nec ludicra, nempe
Interitusve salusve animorum, queis nihil æque
Carum aut antiquum debet mortalibus esse.
Te compello igitur magno te, Vacca, sonore,
Tu mihi, Vacca, refer voces et dicta vicissim.
Ponamus studia hæc fallacis inania mundi,

Ponamus nummi studium, ponamus honorum,
Quorum vel brevis usus erit, vel nullus; et instat
Instat summa dies. Vitæ reddenda prioris
Mox ratio : nos inveniat minus ille paratos
Quam vereor. Pueris potuit qui, Vacca, remitti,
Longævis senibus fit inexcusabilis error,
Et contempta Dei clementia tempore longo
Justas inque graves paulatim vertitur iras.
Ecquid erit præmi post tantos, Vacca, labores?
Quid navasse operæ dicemus? Ubi illa parentum
Nostrorum promissa lacus in margine sacri?
Nequidquam expulsus flatuque exterritus oris
Dæmon, nequidquam mundo blandisque remissus
Nuntius illecebris, nequidquam cætera, falso
Optima quæ ducunt homines et maxima, coram
Exsecrata Deo atque æternum jussa valere,
Si nos immemores antiqui fœderis illa
Missa prius sequimur rejectaque, non aliter quam
Quæ redit ad vomitum canis, expulsumque resumit
Ore cibum, vel qui nomen sub rege professus
Militiæ, subito versis contraria signis
Castra petit, scutoque novos inscribit honores.
Nil mihi profuerit magnorum gratia regum,
Nil tibi pontificum; frustraque patentia late
Prædia, magnificas frustra jactabimus ædes,
Frustra defossa nummos tellure repostos,
Aut loculis frustra duplicatam fœnore sortem.
Stultum est humanis hominem confidere rebus,

Et spectare sui similes, nitique caducis
Præsidiis, alto quæ sunt firmissima cœlo.
Difficile est dominis pariter servire duobus,
Præsertim disconveniens disparque voluntas
Si fuerit, nec cultu utrique litabitur uno.
Nullum fert in amore parem Deus, et rapit ad se
Totum hominem, totoque coli se pectore poscit.
Vacca, Deum, dum vita manet, dumque hos regit artus
Spiritus, et votis et pura mente colamus.
Nec satis est coluisse, nisi huc accesserit illa
Compedibus quæ nos auratis gratia vincit,
Et facit ut nostris æque cupiamus amicis
Ac nobis: cœlo cœlo tamen ipsa petenda est
Gratia, quæ concessa simul spiraverit intus
Cordibus in nostris, et sacrum accenderit ignem.
Nos quoque pro captu nostro et pro parte virili
Huc studium conferre operamque impendere nostram
Convenit: ut quoquo trahit, aut vocat ille, sequamur.
Non etenim resides animosque suæque salutis
Immemores vult esse Deus: quumque omnia nobis
Suppeditet large, tamen et sua dona vicissim
Nostra exerceri cura duroque labore
Exigit; ut rorem, pluviam, solemque benigne
Sufficit agricolis, segetem tamen haud sine cultu
Surgere maturosque sinit producere fructus.
Consistit virtus in agendo tota, nec ullum
Clausa intus miseris præbet mortalibus usum.
Vana fides, frustraque operum jactatur inanis:

Exercenda manus nocturnis atque diurnis.
Ex factis nam quisque suis vel præmia lætus,
Vel meritas animo referetque in corpore pœnas.
Nudi omnes, et pectoribus sistemur apertis
Judicio, nec clausum illi aut tacitum fore quidquam
Speremus, cæcisque tegi nos posse latebris.
Sero Phryges sapient, locus illo tempore nobis
Nullus erit veniæ, nullius gratia culpæ.
Quam nullam in partem et curam venisse volemus,
Vacca, rei communis, et in tenui potius re
Versati, nido non excessisse paterno!
Vix animæ insontes, et candida pectora coram
Stare Deo poterunt, et vultum ferre severi
Judicis: heu! me quid fiet, me quem premit intus
Vis, numerusque ingens, et conscia turba malorum.
Vacca, via ad cœlos angusta est, difficilisque
Adscensu; nos multa gravant, celeremque volatum
Impediunt, multis et humi depressa jacet mens,
Ut nequeant caput erigere, aut os tollere cœlo:
Quæ nisi vera forent, nequidquam jam Deus olim
Ditibus ingressum ad superos aditumque negarit,
Et munire viam cœlo præceperit, omni
Mole gravique prius projecto pondere rerum.
At pulchrum præstare aliis mortalibus unum,
Atque inter splendere suos, augere domi rem,
Egregium natis in morte relinquere nomen.
Pulchrum, Vacca, locus si non hic lubricus esset,
Si non obvia se tam multa pericula ferrent.

Difficile at servare modum : trahit improba mentes
Ambitio, vel amor nummi, comitesque sequuntur
Vis, dolus, insidiæque latentes, furta, rapinæ.
Qua nos perpetuo speremus ut abfore culpa,
Felicesque domi, vel degere posse beatos,
Vivamus regi et patriæ, vivamus amicis :
Necdum expressa tamen præscriptæ linea vitæ
Monstratum per iter, domibusque bonisque relictis,
Sublata inque humeros cruce. Quæ si dura videtur
Vivendi ratio, at tutissima in omnibus una est,
Et levis illa tamen fiet facilisque ferendo,
Nos Deus omnipotens simul ac respexerit alto.
Vacca, mihi liceat cœlo deducere carmen,
Quæque sit in terris merces memorare laborum.
Quæ pulchris hominum referatur gratia factis :
Non vetera aut aliena petam, longeque remota,
Quamvis historiis pleni sint talibus omnes
Scriptorum libri, nec copia defuit unquam.
Nos duo, nos erimus documento, clarus uterque
Luce magis parta et propria, quam luce parentum :
Viximus utiliter patriæ, nostrisque sine ullo
Probro, ignominia, turpisve cupidine lucri;
Huc quoque præclaras gnave conjunximus artes.
Romano tua sæpe foro facundia plausum
Rettulit adstantis magno clamore coronæ;
Jus quoque te populis aiunt dixisse Latinis,
Multaque magnorum gessisse negotia Romæ
Pontificum, gessisse aliis regionibus extra

Urbem atque Italiam, magna cum laude peracti
Muneris, integra tam re, quam nomine, fama.
Nec nos obscuri, vel inertes viximus omni
Emenso spatio vitæ civilis honorum,
Ut posset fortuna mihi suspecta videri.
Tantum ornamenti et decoris cumularat in uno
Hæc nobis via prima ævi, producta per omnes
Deinceps illa gradus, plus quam speravimus ipsi.
Neuter at invidiæ potuit vitare venenum,
Quod plerumque bonis communi re bene gesta
Accidit injustis a civibus et male gratis.
Te socii rodunt absentem dente canino,
Defraudantque tuos justa mercede labores;
Me, circumstantes regem tigresque lupique,
Regia gaza cavis rapiunt qui condita fiscis,
Otia quique timent, nec tuto vivere pace
Posse putant, omnes quibus est vel denique cordi
Et curæ sua res, qui regem et publica temnunt
Tanquam nocturnos visus et nomen inane:
Externo neque rege suum discernere regem
Norunt, limitibusque revulsis omnia miscent;
Nec referre putant affixane lilia portis
Et muris videant, an Iberæ insignia gentis.
Isti, inquam, suasorem omnes me pacis et oti,
Custodem legum vigilem, nec furta ferentem
Ejecere loco; nunc omnia turpiter audent
Sublato custode, putantque impune licere
Omnia, tanquam olim capta solet hostibus urbe:

Legitimi vix ulla manent vestigia regni.
Quo nil credendum fallacibus esse monemur
Promissis hominum; sed terris sponte relictis
Sub pedibus, sursum ad superos intendere corda,
Sursum animos, aliamque in cœlis quærere vitam.
Hæc scripsi tibi, Vacca, jocosis seria miscens
Carminibus; tu res animo, non verba repones.

AD P. VICTORIUM.

Victori, tanto pro munere quas tibi grates
Solvam non habeo, nec quæ tibi mutua reddam
Munera. Namque meis nil tale renascitur hortis;
Nulla pares nobis referunt pomaria fructus.
Et quis dignum aliquid te rhetor, sive poeta
Dicere quid possit, recitare, aut scribere dignum
Aure tua, puroque tuo quo tempora nostra
Judicio superas : usu studioque politus
Scriptorum assiduo veterum, numerandus in illis.
Non tua, Victori, sine causa scripta teruntur
Doctorum manibus. Quia vertit Græca latine
Commodius nemo : veros interprete sensus
Non alio assequitur melius studiosa juventus.
Nec te pulchra suum legit Florentia civem
Nequidquam, natos cui traderet ante regendos
Moribus et studiis, quam munera digna capessant
Ulla viris, ausintque fori tentare laborem.
Nec tanti faciat sapiens te Cosmus Etrusci
Regnator maris atque soli, nisi plurima nosset
Ingeniique tui bona maxima. Verum ego demens,
Colligo tam notis qui laudibus undique testes,
Admoveoque faces nocturnaque lumina soli.
Hæc satis absentis poterant incendere mentem
Vel studio, vel amore tui; sed nuper et istinc

Dalbenas rediens nostrum nimis auxit amorem,
Dum mihi te moresque tuos, ut pictor, aperta
Exprimit in tabula; dum te facit urbe docentem
Nobilium primos, non hæc quæ pervia tradunt
Grammatici pueris, verum quibus artibus olim
Consiliisque regant populos, quæ verba movere
Acrius, aut motas possint compescere mentes.
Nunc te rure tuo spatiantem ponit in umbra,
Captantem liquidi vel murmur amabile fontis
Cum natis parvisque nepotibus, haud sine libris
Et calamo et charta. Solus tu vivere nosti,
Solus, Victori, magnos contemnere reges,
Insanique fori strepitus, turpemque repulsam
Plebis, et oblatos indignis semper honores.
O mihi si redeat, quæ tum fuit illa juventa,
Quum per vestra petens Romam vestigia feci
Oppida; si nunc ille foret mihi pristinus ardor,
Et neque distineat firma respublica vinctum
Compede, jam vexata diu civilibus armis!
O si composita nobis Deus otia pace,
Urbibus antiquum si reddat agrisque decorem,
Quam nihil ista morer, quæ nos dulcedine tardant
Sæpe sua, retinentque domi properare volentes,
Quin Rhodanum celerem transmittam Alpesque nivales
Ocius, Insubrumque inter sata læta fluentem
Eridanum, et vacuæ subeuntem stagna Ravennæ;
Nec finem faciam, donec viridantis ad Arni
Flumina deveniam, fundataque mœnia Francis

Regibus, et veteri conjunctam fœdere gentem.
Quæram ibi, quæ regio, qui te locus accipit urbis;
Si te non habet urbs, et quæ via ducit in agrum,
Et veniam quocumque locorum, ut lætus apud te,
Sive domi es, seu rure, aliave in sede, quiescam.

AD AMICOS.

Durus et agrestis soleo plerisque videri,
Nec curare animos aliorum jungere nobis,
Aut retinere, velut stabilem æternumque futurum
Exploratum habeam magni quæstoris honorem :
Quo tamen et multis spoliari contigit olim
Ætatis cursu medio, vitæque supremum
Ante diem, quamvis sapientibus et bene cautis,
Unde pedem tulerant et eodem sæpe revolvi.
Et quoniam historiæ veterum sunt fabula nobis,
Non adeo longinqua petunt exempla duorum,
Quorum etiam nunc fama manet, quos vidimus ipsi,
Clara togæ atque fori duo lumina, nec tamen illis
Causa vel eventus similis fuit. Alter acerbo
Judicio cecidit, nummos convictus avara
Accepisse manu, contra quam legibus esset
Permissum patriis; cessit muliebribus alter
Insidiis, nono post denique redditus anno.
Hunc sua nec virtus potuit servare; nec illum
Ingenii sua vis, et melle fluentia verba.
« Tam favor et studium populi, tam gratia regum
« Mobilis et fluxa est, tam lubricus omnis honorum
« Est gradus, et comitem secum trahit ille ruinam. »
Hæc fortem quamvis exempla recentia possunt
Deterrere virum, fama ne captus inani

Egregii et patriæ studiosi nomina civis
Privatis odiis emat et mercede cruenta,
Neve nimis studii, nimiumve ad publica curæ
Adjiciat, tantum laturus iniqua laboris
Præmia : quum nihil ipse sibi, nil prosit amicis.
Idcirco sapere et certa resipiscere fini
Præcipiunt, intraque modum consistere recti,
Et tanquam in vitio nimium in virtute reprendunt.
Nam turbasse Cato patriam sævosque tumultus
Dicitur excivisse, nimis pro tempore durum
Non sapienter agens civem, morumque magistrum.
Prima gubernantis navem sapientia, ventis
Haud unquam dare vela reflantibus, et mare sævum
Moliri contra. Quid enim contendere prodest,
Quo te desperes adscendere posse? Vel arcem
Cur teneas, quam scis nulla vi posse tueri?
Non equidem minor est obsistere regis amicis
Stultitia, et vanas frustra consumere vires,
Quam si contendas digitis impellere montem,
Aut conere manu fluviorum sistere cursum :
Nec bonus est actor, quamvis bene noverit artem,
Ni scenæ servire sciet totique theatro.
Scitum illud patrumque vetus, qui nesciet apte
Fallere, mentiri, palpumque obtrudere magnis
Regibus, hunc jubeo discedere protinus aula,
Seque referre domum panes ad furfuris atros.
Utilius de jure aliquid concedere regis,
Multorumque animos, et gratiam inire merendo,

Illius inviti quam rem servare, tibique
Invidiam atque odium multos adquirere in annos.
Ecquid enim tantum respublica præter inane
Nomen habet, vel cui navas studiosus opellam,
Ipsi quæ regi atque aliis male grata futura est?
Tu speciem atque umbram sine re sectaris : ut olim
Qui fictæ Veneris furioso exarsit amore;
Aut qui Junonis vetitos speraverat amens
Concubitus, falsa delusus imagine nubis.
Stultus qui vetera aut nunquam fortasse futura
Cogitat; ipse sibi confingens somnia quædam,
Negligit interea, aut nescit præsentibus uti.
Vix animi regum dubiique tenentur amores
Obsequio, neglecta fugit sed gratia ventis
Ocius : infelix odium virtute paratur.
Seu læti atque hilares ipsi non ora libenter
Tristia conspiciunt, vultusque odere severos;
Sive quod illorum tacitis obtutibus atque
Judiciis sua facta putant, sua dicta notari
Omnia, damnari vitam moresque suorum.
Quod sentis, ideo tectum et tacitum intus habere
Et simulare jubent, aliud sed prodere vultu.
His alia atque alia adjungi quam plurima possint,
Quæ sic percutiunt animum sapientis, et extra
Gyrum traducunt pulchræ rationis, ut omnis
Oblitus decoris non semper honesta sequatur.

Non ego progenies lapidum, non Alpibus ortus
Sum gelidis, et mi materque paterque fuere

Ambo homines hominumque genus, nec saxea nobis
Corda malis immota cadentibus et sine sensu;
Sed metuo, cupio, lætor, doleoque, nec ullos
Experior motus solitos mihi mentis abesse.
Ergo cur inimicitias vel suscipis ultro? . . .
Cur abeuntve tuo tam multi limine tristes?
Non homo sim, caris si non delecter amicis;
Aut bellum si ducam homines odisse, Timones
Quales nescio quos memorant congressibus ipsis
Abstinuisse hominum, et vacuos errasse per agros.
Nulla mihi privata manet discordia, nullæ
Vicinis mecum lites, subsellia nulla
Nomine rauca meo resonant: jucundus amicis,
Hospitibus placidus, famulis non durus et asper.
Vivo, nec invidiosa gravisque potentia nostra est
Ulli hominum. Hæc ferme est rationum summa mearum,
Arbitrium quarum omne meum est, omnisque potestas.
Non eadem ratio, si quid respublica nostræ
Commisit fidei tanquam tutoribus: unde
Non modo delibare nefas et vertere quidquam,
Verum etiam præstanda fidelis cura tuendis
Rebus, et adversum cautos vigilantia fures.
Tu regi puero, veluti datus a patre tutor,
Assideas, falli miserum, pellique superbe
Omnibus adspicias fortunis, ut nihil illi
Jam reliquum præter nomen titulumque supersit.
Si tibi vis non tanta animi est, ac si minus audes
Concertare, manusque opponere fortiter ambas;

Non saltem acclames et vociferere, malisque
Furibus adlatres, non ipso denique vultu
Terrifices animum atque oculos injusta petentum.
O te felicem plus omnibus atque beatum,
A quo nemo unquam vel turpe, vel ausus iniquum
Poscere, quo mutum siluit præsente theatrum,
Cujus majestatem oris non scena ferebat!
Has ego quum videam fraudes et furta supinus
Dissimulem, passisque obducam lumina palmis.
In domini, servis fraudi est tacuisse, periclo;
Perfidia est etiam pupilli prodere causam
Magna, vel absentis rem non defendere amici:
At pietas patriæ, pietas et debita regi
Omnibus antistat; cui non modo nectere fraudem,
Vimque afferre nefas, verum et non ante futuris
Occursare malis, omnemque intendere curam
Tam caro capiti, non ipsam exponere vitam
Extremum scelus est, si quando tempora poscant.
Hoc vir nemo bonus faciat, nihil auferet ipse,
Nil auferre alios patietur; et ut canis acer
Thesauros domini, vigil ut custodiet anguis,
Non metuens inimicitias odiumque potentum,
Non gladios, modo sit respublica salva, suumque
Jus teneat. Tales paucos audimus Athenis,
Tales et Fabios Romæque fuisse Catones:
Forsitan et decoris non expers Gallia tanti
Nostra foret, vates si tempora prisca tulissent.
At retinendus honos sapienti et gratia regum;

Et, nisi vis cogat, nunquam ponenda potestas.
Horum imo jactura levis. Qui creditur esse,
Non est verus honos, signum magis illud honoris,
Indignis quod sæpe viris dignisque videmus
Ætatis, meriti, generis discrimine nullo
Deferrique adimique : manet tamen unus et idem
Vir bonus, erectaque oneri cervice resistit,
Quoque premi sese magis urgerique videbit,
Surget eo magis atque magis, vultuque superbo
Omnia calcabit, pedibus teret obvia quæque;
Victor honoratum tandem caput inferet astris.
Exsilium metuunt, quorum tenet improba mentes
Ambitio, qui vana magis speciosaque rerum
Suspiciunt mortemque putant sine regibus esse,
Privatamque domi procul aula degere vitam :
At sapiens nec solus erit, quum solus in agro,
Solus desertis Libyæ spatiabitur oris.
Semper enim magnum et præclarum cogitat, aut se
Dignum aliquid, fidis circum stipatus amicis,
A quibus, adversa neque tempestate, nec ullis,
Ut mos est hominum, fortunæ casibus unquam
Deseritur; quos quum lassus, si forte, legendo
Deposuit manibus, conscribit et ipse legenda,
Præsentique bonus venturoque utilis ævo.
Est aliquid laudis doctrinæ gloria partæ;
Sed majora, vide, ne sint præconia, quum sic
Laudamur, fuit ille bonus facilisque rogando,
Nullum unquam a sese tristem discedere passus,

Indulgens recta ac non recta petentibus æque
Omnibus. O dignum sapientis nomine laudem!
Sic puer, et patrii laudatur prodigus æris;
Sic quoque multorum laudatur amica nepotum.
Malo supercilium Cassi putealque Libonis,
Aut Areopagi pallentibus horrida nexis
Judicia, et rigidos legum jurisque ministros,
Quam genus hoc hominum mutabile semper in horas,
Fortunæ, quoquo se verterit illa, sequaces
Intendens oculos, ut quæ convertitur herba
Solis ad adspectum semper radiosque nitentes.
Non ego sum blandus, fateor, nec inania capto
Nomina, non studeo popularem adquirere famam;
Nec tamen, inclusus tecti penetralibus imis,
Præbeo difficiles aditus venientibus ad me,
Nec gravor auriculas hominum præbere querelis.
Omne adeo nobis tempus consumitur in re
Communi: si quid reliquum, impertimur amicis
Et studiis; privata nihil moror, haud quia sperno,
Sed curam uxori potius famulisque relinquo.
Ipse verecundis et honesta petentibus ultro
Omnia concedo porrecta fronte manuque:
Nec regis cura sum parcior, ac neque demo
Laudibus et meritis hominum quæ præmia dantur;
Angor at indignos mercedem ferre bonorum.
Ac multi quum multa petant et iniqua, negari
Multa etiam, multosque repulsam ferre necesse est.
Si studiis hominum properem servire, necesse est

Offendi regem et patriam, fortassis et ipsos
Sæpe deos. Jucundus et his, jucundus et illis
Nemo diu simul esse potest; utrumlibet opta.
Prætulerim superum et veræ virtutis amorem
Omnibus humanis pretio et mercede redemptis:
Sera licet, potiora tamen sunt illa bonorum
Præmia, nec gemmis Arabum mutanda, nec auro,
Quæ Deus, æterno jampridem fœdere nostris
Pactus avis, transmisit ad omnes deinde nepotes.
Stultum est incertis postponere certa, caducis
Perpetuos mansura dies, et inania veris.
At mandata sequi debebas regia. Quid si
Nunc vult, mox paucis ubi se collegerit horis
Idem nolet? Age hæc longum mansura voluntas
Non potior, quam præcipitans animi impetus expers
Consilii, subitis impulsus motibus? aut non
Paucorum tolerabilior brevis ira dierum,
Quam dolor æternus culpæ comes, et mala semper
Consilia eventus post allatura sinistros,
Si quando auctoris regem factique pigebit?
Et muto nihil ipse tamen, quicumque sequetur
Exitus, invitique suam rem pergo tueri
Principis, et si nulla futura est gratia facti.
Has habui causas, posthac mihi ne quis acerbam
Naturam, mores, vitiumque ætatis et annos
Objiciat. Si dissimulem facilisque remittam
Omnia, si patiar dissolvi vincula legum,
Vivum me salvumque volent, his utar amicis

Et sociis. Quam multa putas mihi commoda rerum
A magnis oblata viris ; quæ si sequar, omnes
Divitiis Crassos superem, vivamque beatus
Magnas inter opes, legum securus et urnæ,
Jucundus magnis, regi jucundior ipsi.
Hinc me sollicitant nati, simul uxor, amici
Ambitione mea subnixi et honoribus amplis :
Ne se destituam veriti, ne stultus omittam
Temporibus ventisque secundis, dum licet, uti,
Incusemque meam post sero fluentibus annis
Stultitiam, atque optem mihi tempora lapsa referri.
Iidem illi, nam res sua quemque domestica tangit,
Exprobrant, quicumque locum hunc tenuere priores,
Multum illos jam tum soboli cavisse futuræ,
Immensasque suis liquisse nepotibus olim
Divitias ; exstare palatia condita magnis
Sumptibus, et Pario constructas marmore villas.
Hunc ipsum heroem, qui me modo proximus anteit,
Divitiis opibusque omnes superasse togatos ;
Contemni sine re nomen virtutis honestum ;
Inferiore mori censu mihi turpe futurum,
Heredique nihil morientem linquere præter
Funus et exsequias, et longa in tempora luctum.

Hos ego jure meo tanquam mihi sanguine junctos
Castigem, ac jubeam nihil a me turpe malumque
Exspectare. Sed heroum qui se Phryge natos
Hectore contendunt, Hecubæ Priamique nepotes
Difficile est regere, atque animos inflectere dictis :

Nam neque jura tenent hominum communia, nec se
Legibus obstrictos civilibus esse fatentur.
Nunc vi rem ferroque gerunt; quodcumque libido
Suaserit, omne suum ducunt; nec sacra profanis,
Publica privatis distinguunt jure vel usu.
Sic putat exemptam seseque a plebe remotam
Nobilitas, si vivit iners legumque soluta
Judiciique metu; si cædibus omnia complet,
Si prædas abigit, si pejerat, et maledictis
Incessit superos, et numina magna deorum:
Nec miseræ plebis vulgique ignobilis esse,
Per magnos jurare deos, proprium decus illud
Nobilium, quibus est dis proxima pene potestas.
Hæc vitæ ratio est, his se distinguere signis,
Atque notis vera qui relligione manerent,
Quique pie colerent cœlestia numina divum.
O male signatas pecudes, et ovile probrosis
Distinctum maculis! non hic non, o bone pastor,
Grex tuus, at soboles potius monstrosa luporum.
Albi sunt niveique greges quos pascis; at illis
Cor nigrum interius, nigra lingua, nigrumque palatum,
Nigri sunt animis, nigri sunt corpore toto.
Ut recte vero statuas, quid me inter et illos
Intersit, certis poteris cognoscere signis.
Pacem isti metuunt plus hostibus et data cœlo
Otia, percussumque velint confundere fœdus.
Judicia e mundo cupiant et tollere leges;
Prorsus nulla rei communis cura: jacentem

Si patriam videant, ipsumque in pulvere regem
Erigere haud conentur humo : sua denique tantum,
Non sacra sunt illis, non sunt et publica curæ.
Nos pacem colimus, nos perniciosa saluti
Principis et patriæ civilia bella timemus,
Nos leges patrias regumque edicta tuemur,
Odimus armatos non lege aut more tyrannos ;
Nec salvis accisa tueri publica nostris
Possumus, aut patriæ cupimus superesse cadenti.
Et mirare animis tantum differre, vel imis
Sensibus, inter quos tanta est distantia morum :
Tum mirere magis, si quid commune fuisse
Nobis adspicias, præterquam hunc aeris usum.
Non illi me ferre, neque illos ferre ego possum,
Quamvis nulla mihi species oblata pericli
Obstiterit, nullumque recusem ferre laborem,
Dum patriæ prodesse sciam. Respublica testis,
Testis et exactus bellis civilibus annus,
Quæ vetui provisa diu, jam tempore longo
Invitis eadem postquam venere repressi
Hostibus antiquis : pro quo tamen horrida nobis
Prælia commorunt ; sese non posse putantes,
Me nisi sublato, patriæ delere parentem,
Et magno sobolem deductam rege Capeto.
Cum genere hoc hominum contendimus, anne ferarum ?
Non ratione, vel iis sapiens quibus assolet armis,
Sed quibus inter se tigres torvæque leænæ.
Nec statione tamen nostra decedimus unquam,

Tantum animi nobis cœlo datur. At tibi virtus
Ista quid attulerit patriæ, nisi prosit et urbi?
Quin tu, quando illi monitis parere recusant,
Perpetuas leges et formidabile nomen
Imperii, cippos, et tetri carceris umbram
Horridus intentas? pœnamque a gente reposcis
Immani et scelerum plena? Mihi deesse monenti
Verba putas, animumque, ita si feret usus, agendi
Legibus. At per se ipsarum vis irrita legum;
Nil opis, auxilii nil suppetit, a quibus esse
Debeat, aut metuunt, aut non aliena dolentes
Aspiciunt; et quæ poterant succurrere tantis
Sola malis, ea muta jacent oppressa timore
Judicia *.

AD VIDUM FABRUM.

Si quis felicem, si quis me forte beatum
Quam mihi vana diu risit fortuna, putavit,
Et regis lateri dum proximus ante sedebam :
Nunc miserum, postquam hæc speciosa aut sponte reliqui,
Aut mihi more malo, per vimque erepta tenere
Non potui; mendax longe illum et nescius error
Fallit inexpertum fortunæ utriusque, meique
Ignarum. Qui si me, vel mea tempora nosset,
Quos tulerim motus, mihi quas respublica turbas
Concierit, quibus arma viris contraria gessi,
Miretur potius me tanta in fæce tot annos
Versatum jacuisse, nec iis emergere tantis
Conatum prius esse malis : nisi forte jacentem
Stare putat, stantemque jacere, et dissidet a me
Deceptus splendore loci. Themistius olim
Doctrinæ clarus studiis notusque Valenti
Dicitur oblatum libris cepisse relictis
Imperium, prætorque loco sublimis ab alto
Jus dixisse suis popularibus. Hæc fuit illi
Jucunda et facilis primis prætura diebus :
Post paulo invisæ premerent quum jurgia plebis
Assiduusque labor, desideriumque subiret
Imprimis studiorum, et libertatis, et oti,
Illum aiunt media in turba summoque sedentem

Exclamasse foro : Themisti, adscendito sursum
Ex hoc inferiore loco, repete ardua tecta
Excelsumque larem, summissum quem ante putasti.
Hic prorsus nulla expertus certamina, nullis
Invidiæ telis, quæ plurima regnat in aula,
Percussus : tamen ante ipsum quam pene tribunal
Conspiceret, presso fugit velut angue viator.
Illa diu juvenes aurata compede vinctos
Nos ratio tenuit : tandem caligine sero
Cœpimus excussa sapere, ac meliora viarum
Velle sequi, et diris animum subducere curis.
Nunc iter insuetum contendimus, et nova vitæ
Principia ordimur, tamen apta senilibus annis.
Ante mihi duris dominis servire videbar,
Vix equidem satis ingenuis, Pallantibus atque
Narcissis; faciles rex et regina fuere;
Impero nunc dominorque meis, et denique regno.
Ante vagum semper vel caupo, vel hospes habebat
Asper, difficilisque exactor et improbus; ædes
Nunc habito proprias, nunc rura perambulo nostra
Quandocumque libet, nullius jussa capessens.
Sepositum tempus nullum fuit ante colendi
Numinis, et nullum studiorum, atque omnia raptim
Libabam et leviter, quantum vis regia demi
Communisque suo de tempore cura sinebat :
At nunc pro nostro libito momenta dierum
Singula partimur. Mane hæc orienteque sole,
Illa cadente, alia atque aliis volventibus horis,

Perque vices nobis certas opus omne recurrit.
Nemo adeo mihi mane molestus, vespere nemo est.
Scilicet illa nitens urbana vel aulica vita
Plus splendoris habet, plus hæc privata quietis,
Terrorumque minus, minus ipso in fine periculi.
Nam quæ post homines natos respublica civem
Unum ingrata suum aut plures non expulit urbe,
Præcipuæ virtutis, eos quum ferre nequiret?
Cui tandem regum veri et constantis amici
Non os erectum et rigidum, non libera virtus
Displicuit? Quam si pudor et reverentia paucos
Incolumem præstare dies potuere, malorum
Vicit ad extremum corrupta licentia morum,
Et nunquam duris monitoribus æqua potestas
Regia, servitio gaudens, comitumque superba
Obsequiis. Vetus est oviumque ac nota luporum
Fabula, quum certam vellent componere pacem :
Hoc primum petiisse lupos in fœdere scribi,
Ne posthac rabidos pecori jus esset ovillo
Associare canes, et ovilia ducere circum.
Latronum sic blanda suo cum rege paciscì
Turba solet, quo nempe licentius et sine rixa
Invidiaque ulla, solum, nudum atque relictum
Exspolient dominum, custodibus ante remotis.
Quorum alii æternum exsilium patienter et æquo
Ad mortem usque animo supremaque fata tulere;
Atque sua in patria vetuerunt ossa referri,
Innocuos cineres. Est qui damnatus iniquis

Judiciis, Romæ quum posset vivere, Smyrnæ
Maluit, obscura clarissimus hospes in urbe.
In patriam adque suos alii rediere penates
Decretis populi, et regum meliora sequentum
Consilia. His satius multo plerisque fuisset
Perpetua patriæ fortassis luce carere,
Queis mens fracta priore malo metuensque futuri
Concidit, et solitum decessit pectore robur.
Prima quidem fortes inierunt prælia multi,
Nec vero expavere minas bellique furorem;
Iidem illi graviore accepta in corpore plaga
Quum male pugnassent, post nunquam ad castra reduci,
Armatique hostis vultum potuere tueri.
Partem adeo nullam est virtus habitura prioris,
Quamvis egregii, nisi par constantia, facti
Subsequitur. Nec enim casu mutabilis ullo
Vis animi est imbuta semel virtutis amore.
Trinacrio posset quum liber abire poeta
Carcere, si versus regis laudaret ineptos;
Maluit ille tamen dura intra septa reponi,
Quam mutare animum, et sævo parere tyranno.
Ille quidem in nugis constans, gravis atque severus;
Quo magis immotas adhibere ad seria mentes
Convenit, et nullis concedere casibus, ut ne
Dedecorent culpæ benefacta priora sequentes.
Nolo tamen studio patriæque avertere cura
Teque domi clausum, aut Epicuri in mollibus hortis
Deliciis rerum circum omni ex parte fluentem

Carpere privatæ securum commoda vitæ.
Nil ubi pervideas oculis, nihil auribus usquam
Accipias, tua quod pervertere gaudia possit.
Nullum non vitium producit inertia, sive
Ingenio es celeri, seu tardo : plurima passim
Nascitur incultos non utilis herba per agros.
Majorum si forte capax et idonea rerum
Assurgit tibi mens, nec erit jam jamque tuo par
Res animo privata, capesse puer vel adultus
Publica, morigerans naturæ. Prima secundum
Namque deos patriæ pietas est debita nostræ;
Cui te quum dederis, perdura et perfer ad usque
Extremum vitæ spatium limenque sepulcri,
Quam volet illa diu. Sin te rejecerit ultro,
Sive tui pertæsa novos accerset amores,
Lætus abi, atque revise tuos cum conjuge natos,
Incolumi famaque et nomine, plenus honorum,
Et tibi (quod summum est) vitæ bene conscius actæ.
Bellum est namque domi requiescere re bene gesta
Communi ; bellum magnis et honoribus olim
Perfunctum spectare senem nunc rustica in agris
Munera tractantem, nunc et pomaria certis
Ponentem ordinibus, nunc multum et multa legentem
Scribentemque legenda nepotibus usque futuris.
Id vero imprimis suprema optabile fini,
Exacto vitæ spatio deponere corpus
Atque animam dulces natorum et conjugis inter
Amplexus, condique paterno deinde sepulcro.

Forsitan at dubites positis ut nudus inopsque
Fascibus incedas, summis despectus et imis,
Et tua sit variis obnoxia vita periclis.
Sæpe magistratus augusta potentia cultu
Indigne ficto colitur : simul illa recessit,
Dilabi cunctos videas. Sed gloria veræ
Virtutis solida est, positoque manebit honore;
Nec solus, sapiens aut incomitatus abibit,
Et quum solus erit, secum tamen ipse loquetur,
Nec valde socios alienaque verba requiret.
Cur vero metuat, qui nullum intenderit ulli
Ante metum, nullos hominumve offenderit unquam?
Præterea clarum factis et nomine notum
Relligio est pulsare virum, licet exsulet urbe
Et dulci patria. Damnati os ferre superbum
Non potuit Mariique micantia lumina Cimber.
Sylla tot occisis in bello civibus ibat
Securus medioque foro, mediamque per urbem.
Possum multa referre bonorum, etiamque malorum
Nomina, quos alio majestas sola sine ullo est
Præsidio tutata senes. At sanguine si quis
Abstinet ipse manus, et nulli unquam fuit auctor,
Causaque lugubris sumendæ in funere vestis,
Ille potest vacuo et deserto solus in agro
Ire viam, placidos vel in umbra carpere somnos
Abducti nemoris. Multos ego strenuus annos
Multa tuli belloque et pace, nec ullius unquam

Arma, simultates, inimicitiasque refugi,
Dum genti prodesse meæ regique putarem.
Judicia et veteres regni defendere leges
Ausus sum pro jure meo; quos ipse tuebar,
Ii sese opposuere mihi. Decesserat omnis
Laudis amor timidis, nec libertatis honestæ
Servitio assuetis erat ulla in pectore cura.
Sic inter rixasque togæ, luctatus et inter
Arma virosque, ... propinquus sæpe periclo,
Composita tandem securus pace quievi.
Post aliquot menses, quum pristina deinde potestas
Et vis imperii mihi reddita, ut ante, fuisset,
Quando ulli est a me nocitum, cuinamve relata est
Gratia, jure meos hostes quum posse viderer
Ulcisci? Neque mens melior tamen, aut fuit illis
Æquior, et nunquam post cessavere vel atris
Insidiis mecum aut bello contendere aperto:
Donec præcipitem specula et statione moverent,
Cui me rex multis præfecerat ante diebus.
Cessi, et præsidia intra me privata recepi.
Nunc me villa tenet nullo circumdata muro,
Non fossis, non aggeribus, non tuta virorum
Præsidiis. Stat nostra Deo spes omnis in uno.
Rex etiam nos ipse jubet durare, bonoque
Esse animo, verique haud parva ostendit amoris
Signa mihi; præbetque cibum victumque benigne
Absenti, et quæcumque ferebam commoda præsens.

Sic me demissum non pœnitet hujus ab aula
Exsilii. Quis enim locus est jucundior ulli,
Quam sua cuique domus? Verum dolet illud et angit,
Absentem non posse meis hoc tempore fungi
Officiis, regique operam præbere fidelem;
Non posse ardentis patriæ restinguere flammas.
  Ergo nemo meam sortem miserabitur ullo
Privato proprioque malo, nostramque dolebit
Nemo vicem, tanquam solio prolapsus ab alto
Deciderim. Miserum ærumnis communibus esse
Me fateor; nec posse suis confidere rebus
Quemquam hominum patriæ cupidum vel regis amantem,
Eversa patria. Sed quando occurrere tantis
Ipse malis nequeo, tentavique omnia frustra
Auxilia: ut quondam medicus rejectus ab ægro,
Non clausis foribus, non circumstantibus illum,
Vim faciet, sed multa deos testatus abibit:
Utque gubernator cœlique marisque peritus,
Stultus et imprudens manibus cui navita clavum
Eripuit, cæcisque vadis illidere pergit;
Postquam multa nihil profecerit ante monendo,
Cedet, utramque tamen fortunam ferre paratus:
Sic ego consiliis dejectus sede malignis,
Quam tenui rexique diu cum laude bonorum
Latronumque odio, non diris atque nefandis
Prosequar ominibus patriam, potiusque precabor
Omnia fausta novis rectoribus atque magistris.

Hic tamen interea eventus casusque futuros
Opperiar, lætus mala tanta quod æger et absens
Non videam. At nostras siquis deus obseret aures,
Hoc quoque me vitio miserum minus esse putarim.

AD BARTH. FAIUM,

INQUISITIONUM FORI PRÆSIDEM.

Sperabam, dilecte mihi, septembribus horis
Hic aliquot te posse dies traducere mecum,
Officiis operisque solutum: at tristia bella
Invidere tibi requiem, mihi gaudia, læto
Jam præcepta animo. Nec dum tamen excidit omnis
Spes, seu vitiferi colles et prata Givisi,
Seu riguum veniam passim manantibus undis
Vallegradum: brevis est utroque excursus ab urbe.
Me gravidæ nimium tardantia tempora natæ
His tenuere locis, quum jam discedere vellem.
Cætera si videas, nihil una vite morere
Excepta. Quid enim post tonsa novalia late
Belsia, nudus ager, sine silva, fontibus, herbis,
Ferre potest oculis gratum et spectabile nostris?
Invitus fateor tot nostri incommoda fundi.
Quid faciam? Spartam legi, mihi Sparta colenda est.
Haud multo melior Curiorum et Fabriciorum
Villa fuit; nec non ejus Carthagine capta
Degere Linterni qui maluit: hanc tamen omnis
Posteritas mirata sequentum est deinde nepotum,
Erubuitque suas illi componere villas.
Ut quondam in magno frugique et sobria cœtu

Suspicitur matrona probo venerabilis ore,
Objurgans tacite luxum moresque solutos;
Atque aliæ tantam non ferre valentia lucem
Ora sua obvertunt, nimio confusa pudore.
Quanto parcius est, quanto prudentius olim,
Mœsa tibi constructa solo meliore, situque,
Ædibus et villa modicis, et non procul urbe
Atque foro : media ipsa duos interjacet amnes,
Qua se Lingonicis delapsus leniter oris
Matrona committit potiori fluminis alveo.
Huc lassus studiorum operumque excurris ab urbe
Quandocumque libet, mox inde recurris ad urbem :
Sic nunquam satias animum subit. At mihi lasso
Ruris ad urbem aditus non est patriosque penates;
Quin me semper habent et habebunt sordida rura.
Hanc mihi fata fugam suprema ætate dedere
Exsiliique locum : tamen at cum conjuge cara,
Cum genero, et nata, parvisque nepotibus. O tu
Accedas si forte, mihi nil deesse putarim
Ad cumulum : veteris tam gloria pollet amici.

AD EUMDEM.

Non quo more solent alii gaudere beatos,
A quibus exspectant quam plurima commoda, amicos;
Hoc ego, docte Fai, te lætor honoribus auctum
Esse novis, quanquam nos utilis inter et usus,
Verum me magis ipsa movet respublica, claris
Orba viris, quæ jam sperat, te vindice, primo
Restitui se posse loco; te judice, sanctum
Virginis Astrææ cœlo deducere numen,
Sedibus invisum nostris dum bella fuere.
Non ea vis nobis, dices; non arduus Atlas
Tantam humeris possit latis fulcire ruinam.
Nolo tibi gravis esse, onus aut imponere, quantum
Ferre, Fai, nequeas : satis est, pro parte virili
Si studium conferre voles operamque potentem.
Sunt alii, quorum melius mihi parcere visum
Nominibus, pulchro huic operi qui protinus addent
Se socios; nec si in paucis antiqua resedit
Virtus conspiciturque viris, ideo minus illis
Audendumque tibi : nulla unquam tam fuit ætas
Felix atque beata, bonorum ut largius uber
Funderet; illa tibi pridem jam debita natoque
Ornamenta tuo, Deus hæc in tempora pacis
Distulit haud temere, ut pacem cujus fuit auctor
Ille, colas, et quæ nobis rex otia fecit.

Namque tuis nullus bello locus artibus : omnes
Vi repetunt sua, vi rapiunt aliena, soluti
Divum hominumque metu, et vana formidine legum.
Tum fora clusa silent, tunc et præconia cessant :
Exserta miles dextra, strictumque superbe
Intentans gladium, hic faciet, nisi feceris, inquit;
Aut statuit quidquid libitum est ex commodo et usu
Ipse suo, seseque gerit pro judice victor :
Coram urbana metu pubes et rustica mussat.
Tum stabulantur equi tectis, quibus ante solebant
Institui juvenes, pulsis ex urbe magistris.
Non præfecturæ meritis, non dantur honores.
Omnia sunt pretio venalia : rarus in aula,
Rarus in urbe aditus virtuti; nec tamen ausim
Affinem huic culpæ regem, vel regis amicos
Dicere, non alios quibus est respublica curæ,
Quorum jampridem studium et mihi nota voluntas.
Armorum hæc sunt, non hominum, queis nullius obstet
Vis ulla ingenii, robur neque pectoris ullum :
Tantum ægris addunt mortalibus arma timorem!
Ipse ego dum clavum tenui, me fluctibus atris
Jactatum ferri maria in diversa videbam.
Quid facerem? Semel ut provecta est navis in altum,
Difficile est regere, et quovis intendere cursum,
Non magis in medio quam si consistere lapsu,
Aut regredi coneris. « Inexsaturabile bellum est,
« Faucibus horrendis latisque, voracius omni
« Gurgite. » Tam fœdam non Crassi divitis aurum

Expleat ingluviem, non Persica gaza, nec omnes
Quas Tagus aurifluas vehit, aut Pactolus arenas,
Effossis quidquid legitur vel ubique metallis.
Atque illi in tanto grata est lascivia luxu;
Gaudet enim potius male partis, semper honesta
Militiæ vetitis postponens commoda lucris.
Nam manibus quæcumque suis pedibusque superbis
Contigit, aut ventri non suppeditavit avaro,
Polluit, effundit, vel proterit omnia, tanquam
Nil reliquum prorsus miseris velit esse colonis.
Tale domus Ditis, tamque exitiabile monstrum
Regibus et populis aliud non extulit ullum;
Quamvis multa lues hominum det corpora letho,
Multa fames, aliæque malorum mille figuræ:
Omnia quæ collata uni levia esse videntur.
Hæc tibi pars minima est belli descripta laborum,
Cujus inhumano quisquis capietur amore,
Idem erit et patriæ et divini numinis hostis;
Nec multum amisso aut spoliato rege dolebit,
Nec feret indigne violari templa Deorum.
Multo plura oculis atque auribus hausimus ipsi
Cultores agri longe lateque patentis,
Quæ mihi, quæque tibi renovent memorata dolorem,
Omnibus et pacis cupidis, et amantibus oti.
Bellum ergo sapientis erit vitare, nec unquam
Sanguinea capere arma manu, nisi forte necesse est.
Capta modum nec habent, nec majestate reguntur
Principis, imperiove ducum : parere recusant

Legibus, et placidæ sese submittere paci.
Quæ quum tot soleant plagas imponere regnis,
Nec ratione ulla possint, nec lege domari,
Et neque judiciis, quorum laus maxima vestra est,
Oremus superos quam mentem, quemque dedere
Regi animum nuper faciendæ pacis, eumdem
Esse velint longos servanda in pace per annos:
Ut sit judiciis et legibus æqua potestas,
Ut sit cultus honosque Deo suus, omnis et uni
Serviat æternum conspirans Gallia regi.

DE OBITU JAC. FABRI.

Ergo tam prope me et sine me decessit amicus
Æqualisque meus, mihi primis notus ab annis,
Ille Faber, qui me penitus meaque intima norat
Consilia, illius noram omnia et ipse vicissim,
Qui tanquam fratres gemini duo viximus una
Ætatem junctis animis paribusque, nec ulla
Re nobis unquam, nullo unquam gratia dicto
Dissiluit concussa; bonisque malisque fideles
Temporibus socii fortunam duximus unam
Communemque, mihi quæcumque vel obtigit illi.
Tempus erat vetulis summe quo suavis amicis
Fructus amicitiæ solet esse : tenebat in aula
Regis uterque gradum atque locum securus honestum.
Hic reliquum exigere et spatium traducere vitæ
Jam certos, patriæ tempestas horrida longe
Dispulit, atque alio diversos ire subegit.
Naufragium patriæ mœsti conspeximus ambo,
Quum nostrum armorum cupidis non ante placeret
Consilium, tristique arderent omnia bello.
Ille quidem infestis a civibus et male gratis
Multa senex indigna tulit; me sors quoque nostra,
Aut fatum patriæ solum hos ejecit in agros.
Est tandem superum dono pax reddita terris,
Sera licet. Nec vero illi posuere feroces

Infensosque animos, quin bella extincta novare
Criminibus cœpere novis. Non defuit illi
Integra nulliusque mali mens conscia facti.
Ipse egit causamque suam causamque suorum
Vidus; nāmque domus facta est rea tota Fabrorum :
Vidus prima togæ sublimis gloria, Vidus
Cui patruus natura, animo pater usque fuisti,
Mi Faber, hunc sperans vestræ columen fore gentis.
Coram rege ipso res acta est : judice vicit
Causa bono melior. Requies tum denique Fabris
Parta videbatur, requies mortalibus ulla
Siqua foret; sed enim rebus fortuna secundis
Invida te longi affectum discrimine morbi,
Ausumque hiberno nimium te credere cœlo,
Perculit. O cur non aderam, memetque ferebam
Obvium et adversum! Tenuissem vel prece multa,
Vel per amicitiam nostram canosque rogassem.
Sed quid ego hæc stultus memoro, quasi cura salutis
Nulla minorve tuæ præsentibus esset amicis,
Quorum aderat melior tibi pars vel maxima; frater,
Quem tu dilexti merito plus omnibus unum,
Et Vidus tua cura, et fratris filius alter,
Complures et amicitia vel sanguine juncti?
Nos culpam et causas moriendi adscribimus ægris,
Aut medicis famulisque, aut ipsis sæpe propinquis :
Obliti quod certus et immutabilis ordo est
Rerum, quod præscripta homini sunt tempora vitæ;
Quæ fas corripere est, fas est producere nulli,

Seu juvenis moritur, seu magno vir pius ævo.
Nec propere extinctus, nec serius ille videtur,
Sed justis metam spatiis tetigisse supremam:
Solibus æstatem auctumnumque ut sæpe videmus
Maturare suos, aut tardius edere fructus.
Ille quidem moriens superaverat omnia tela
Fortunæ, invidiam, confictaque crimina; tantum
Me secum non esse moleste ægreque ferebat:
Incauto funesta supervenit interea mors,
Luctum mi lacrymasque ferens. Ego fata superstes
Exspecto mea, tam caro privatus amico.
Tu mihi nunc felix demumque videre beatus,
Quod prius optatam requiem portumque subisti,
Quam mala conspiceres, nobis quæ maxima restant;
Quæ vereor ne sint graviora prioribus illis,
Ante nihil cernens profectum in corpore nostro
Verberibus plagisque, et nondum irata deorum
Numina vindictæ finem fecisse modumque.
I præ anima, i præ sancta, sequar te protinus ipse,
Una utinam regio capiat, locus unus et ambos:
Defunctis eadem maneat, quæ gratia vivis
Ambobus fuerat, nullo mutabilis ævo,
Si quis præteriti modo sensus amoris in umbris.

AD ANNAM ÆSTENSEM.

Anna, mihi natis hæc de tribus una superstes
Vivit adhuc, vivitque tuo servata recenti
Munere, dum tota cædes flagraret in urbe:
Præterea nec spes occurreret ulla salutis.
Hanc natam, patri quæ semper et omnibus horis
Adsidet, infirmamque regit cum matre senectam,
Adspicio nunquam, adspicio, sine pectore grato
Et memori laudisque tuæ, laudisque tuorum.
Tu plures animas servasti nuper in una:
Illam ipsam, atque novem pueros, et utrumque parentem.
Unius in vita, vitam debere fatemur
Omnes: credimus esse tuum quod vivimus omnes.
Illa mihi curam studiumque jacentis et ægræ
(Multos namque dies ægram jacuisse ferebant)
Narravit, ne quis percussor forte subiret
Interiora domus, ne quis se forte latentem
Extraheret; nec enim rabies tum sæva pepercit
Matribus: infantes etiam dicuntur in amnem
Præcipites mersi. Dein quum furor ille quievit,
Paulatim et rabies vulgi temeraria cessit,
Præsidiis media positis regione viarum,
Ipsa ut vicinæ narravit limine portæ
Mille manus emissa inter gladiosque virorum,

Cognita quum nulli rheda veheretur operta,
Una tuæ comitum vulgo tum credita matris.
Sic rediens patremque metu curaque levavit.
Quis Deus hunc animum tibi, virgo, quis hanc tibi mentem
Spiritus immisit? Deus est, Deus, Anna, maritæ
Qui tibi cor pupugit, quod fecerat ante puellæ.
Qui Deus etsi hodie vobis est fabula, ne tu
Neve alii pergant aliam confingere causam.
Nam memini, dum te Ferraria dulcis alebat,
Non solum te forma alias anteire puellas,
Verum etiam matres ipsas pietate virosque
Omnes; ex illo est tua tempore maxima nobis
Gloria, cujus vix umbram Ferraria vidit.
Nos illa fruimur solida, longumque fruemur,
Dis ita si visum est superis, si vota precesque
Nostras accipient æqua pia numina mente.
Scilicet illius est merces hæc ampla laboris,
Quem sumptum ante mihi viginti et quatuor annos
Ipsa soles jactare, nimis nulla aut tenui in re
Grata, absenti esses quum virgo sponsa marito,
Ipse tui curam gererem rerumque tuarum,
Adscitus pactis dotalibus auctor et auspex.
Quanquam nec labor ille fuit, sed primus honoris
Tum gradus a te, postque tuis mihi stratus ad illa
Quæ deinceps nobis rex et regina dedere
Maxima, dum nos vulgo homines florere putabant.
« Nullum adeo magno et regali in pectore frustra

« Semen amicitiæ jacitur : cum fœnore jacta
« Summa redit; redeunt generoso ex semine fructus
« Multiplices variique. » O si tua libera quondam.
Quæ fuerat tibi mens intactæ integra puellæ
Nulla re, nulla vi alio detorta fuisset,
Quam minus aut hodie respublica nostra laboret,
Aut ego! quam sint nostræ hodie meliore loco res!
Plurima dissimulanda tibi, simulanda fuere
Plurima, tam variis in vultibus ingeniisque
Convenientum hominum ex omni regione locorum :
Quæ nunquam patiare, tuæ si spontis in aula
Vivas, nulli addicta viro, nullisque potentum
Imperiis. Sed quæ in mediis consistere navis
Fluctibus ulla potest, rapidisque obsistere ventis ?
Atque ego, quum premerer stimulis iraque tuorum
Immerita, quos tum colui, tum semper amavi,
Te nunquam iratam, consanguineique doloris
Participem sensi. Quid si tua regia virtus
Illorum potuit sensus et flectere corda;
Imo et placatos et reddidit, ut prius, æquos?
Cujus multa rei videor cognoscere signa.
Nunc expertus opem, fore quod vix ipse putavi,
Auxiliumque tuum, tristi hoc in tempore nostro,
Expertus vita in generi natæque salute :
Agnosco veræ te religionis alumnam;
Agnosco magni prognatam stirpe Loisi
Regis, cui se ausit componere nemo priorum

Justitia, probitate, fide, pietate vel armis:
A quo progenies regum pulcherrima nobis,
Perpetuos regno terrisque datura nepotes;
Mi pacem veniamque meis, dum vita manebit.

AD MARGARITAM,

SABAUDIÆ DUCEM.

Oblectare meis te versibus ante solebas,
Quam forti desponsa viro regina fuisses:
Nuptæ alii placuere joci; mox filius omnis
Maternas sese curas convertit ad unum.
O mihi si liceat festivi scribere formam
Et vultum pueri! quot basia utrique parentum
Complexusque dedit, quot rettulit ille vicissim!
Tum septem postquam jam grandior attigit annos,
Qui decor enituit pueri maternus in ore,
Quique vigor patrius diffusus corpore toto,
Instar jamque viri proavos referentis imago.
O mihi si liceat juvenis res condere gestas,
Virtutem liceat bellique domique futuram,
Servatos cives, partosque ex hoste triumphos,
Quæque alia haud falsus præsenti ex indole vates
Conjicio, totum fama celebranda per orbem!
Sed labor egregios exerceat iste poetas;
Nobis est vetitum tantam contingere laudem,
Et tantum, regina, decus. Nam cætera abunde
Ut mihi suppeterent, animum tamen abstulit ætas
Qui fuerat, cœpi jam quum tibi cognitus esse.
Te quoque post nobis erepta amisimus omnem

Lætitiam, et studium scribendi abjecimus omne,
Impia dum miseros agitat discordia cives
Mutuum in exitium et patriæ miserabile funus.
Tristior inde fuit noster discessus ab aula,
Tristis ob antiquum reginæ et regis amorem :
Cætera pene etiam lætabilis et sine cura
Aut desiderio. Quid enim ploremve relictum,
Aut cur non placeat lasso mage rustica vita
Decrepitoque seni? Non tu post mille labores,
Aut post jurgia mille labantem quæ recreares
Firmaresque animum præsens, regina, fuisti :
Scis, et te meminisse puto, me publica semper
Omnia consuevisse tuo deponere semper
In gremio atque sinu, dubiisque exposcere rebus
Consilium : privata etiam collapsa, manu sunt
Sæpe tua meliore reposta statuque locoque;
Et mea sæpe domus sine te labefacta fuisset.
Quæ mihi quum desint hodie solatia, non est
Cur in cœtu hominum cupiam, cur vivere in aula.
Nunc adeo summis defunctus honoribus ipsa
In patria, mox invidiæ corrosus amaris
Morsibus, atque odio procerum vexatus acerbo,
Qui me stante, ipsi nec sese stare putarunt
Posse, nec antiquum hoc patriumque evertere regnum:
Vivo tamen solo vitam Laertis in agro,
Delicias animo contemnens urbis et aulæ,
Ambitione procul, quæ me rapere ante solebat:
Exsul, at exsilio non turpi, non inhonesto;

Sed quali populus quondam memoratur Athenis
Usus in egregios et claro nomine cives.
Quorum virtutem eximiam quum ferre tuendo
Non posset, vel opes nimias, aut denique quidquam
Rarum atque excellens, et non æquabile plebi,
Commigrare alio et discedere ab urbe jubebat:
Non illos pœnæ causa culpæve luendæ,
Verum ut virtutis comitem hac ratione levaret
Invidiam, et nemo vel in urbe excelleret unus.
Talis Aristides, et qui non mœnibus urbem
Ac patriam, sed stare viris armisque putavit.
Nam quid Smyrnæumque senem referamque Metellum,
Innumerosque alios, virtus quos sola coegit
Exsilio mutare solum, patriaque relicta
Externis sedes alias sibi quærere terris?
Nolo me inserere his: eventus cui tamen idem
Aut par pene fuit; nisi quod tolerabilior sors
Est mea, qui patria non sum discedere jussus,
Tantum me adspectu atque oculis removere potentum:
Cuique domi licitumque meis est degere villis.
Ipse mihi rex æquus erat, jam tum licet ævi
Immaturus; et ipse hodie nos tempore ab illo
Rex alit absentes, nos pascit et ubere largo:
Ut dominus præbet servis alimenta benigne,
Emeritis canibus vel equis operumque solutis,
Gratus et officii atque operæ memor ille prioris,
Quamvis nulla sibi fere commoda speret ab illis.
Quæ res exemplo est miseræ tamen atque repulsæ

Virtuti, nec parva bonis a regibus esse
Præmia, nec reges simulatis semper amicis
Credere, quædam ipsos melius decernere secum.
Hæc mea sors aliis miserabilis esse videtur,
Invidiosa aliis, etiam mihi pene beata
Si quidquam hic dicive potest, aut esse beatum;
Namque mea in tanto quando vel inutilis ævo
Est opera, et patriam non re possumve juvare
Consilio, sive illa mei pertæsa, novorum
Gaudet amicitia juvenum: quis honestior istis
Optari potuit secessus et aptior annis?
Incolumi fama et censu, non et procul aula,
Non procul urbe, meis belle satis ædificatis
In villis habito cara cum conjuge, cumque
Et nata et genero, et numerosa prole nepotum.
Est bona librorum mihi copia, scribo, legoque,
Aut aliquid semper meditor; ludique jocique
Stat ratio, nullusque dies mihi transit inanis.
Sed tantis mala me vicinia non sinit uti
Illa bonis, vitamque meam meaque otia turbat.
At quæ sors hominum in terris non plena laborum
Invidiæque? etiam misero miser invidet, exsul
Exsulibus profugisque; nec ulli hominum genus unquam
Gaudia pura dedit non mixta doloribus ullis.
Haud facile interea, multis licet undique septus
Præsidiis, motus potui vitare furentis,
Horrendum, populi, vel agrestis tela juventæ.
Filia Parisiam casu quæ venerat urbem;

Imprudens subitis oppressa tumultibus, Annæ est
Æstensis servata fide. Nam sexus et ætas
Nulli præsidio fuit in discrimine tanto.
Longum sit memorare quibus me ignobile vulgus
Contudit afflixitque malis; ut prædia nostra
Diripuit, captosque abduxit rure colonos.
Quidam etiam longo desertas tempore lites,
Rettulit ad sedem et solium prætoris iniqui.
Tum vero nec erat, magno quod sæpe tumultu,
Justitium: sed qui prætor tum debuit esse
Vindex flagitii et sceleris, scelus ipse juvabat;
Et nisi præsidium, nisi regis et arma timerent,
Forsitan illa dies nobis suprema fuisset.
Ipsa meæ curam cepit regina salutis,
Sponte sua lectos equitum regina suorum
Præsidio nobis nostra usque ad prædia misit.
Quos tu non reges, quos et tum regis amicos
Supplicibus verbis non tunc, regina, rogasti?
Quanquam aberas longo spatio divisa locorum,
Nulla mihi tua defuit unquam gratia, nullum
Auxilium; sine te fractusque humilisque jacerem,
Aut me pallida mors habeat tellure repostum.
Hactenus hæc, quando melius tu singula nosti
Scriptis, aut sermone aliorum, aut denique fama:
Nunc est agricolis, nunc est habitantibus urbes
Plena quies. Fruimur securi uxoribus omnes
Et natis, fruimurque bonorum fructibus, alta in
Pace velut: si quid securum perpetuumque

In terris, et si qua fides mortalibus ulla est.
Ne tamen idcirco nos otia carpere læta
Ignavamque puta vel inertem degere vitam :
Nunc cœlos rapio, non quo tentasse gigantes
More ferunt, sed qua docuit ratione viaque
Christus, dum vitam in terris ageret : sequor illa
Sero mihi calcata Dei vestigia segnis
Discipulusque senex. Sed qui venere suprema
Sæpe die, nihilo tamen ii cepere minora
Præmia, dissimilisque labos æquatus utrisque est.
Nec ratio quærenda tibi, quum injuria fiat
Nulla, feras certo mercedem fœdere pactam,
Si plus ille tulit, vel partes venit ad æquas
Qui servisse minus, minus aut meruisse videtur.
Nemo suis meritis aditum sibi fecit olympo,
Quamvis ille pius, quamvis sine crimine vixit :
Nemo sibi dux ipse viæ super astra ferentis ;
Ipsa regitque trahitque Dei nos gratia cœlo.
Donum hoc omne Dei est, qui pridem ante omnia legit
Sæcula, quos regni socios cœlestis haberet.
Atque utinam mundo sim tanquam mortuus, uni
Vivam respiremque Deo, mediterque futuram
In cœlis vitam, vitæ præsentis in umbra,
Oblitus veterum studiorum, et totus in una
Verser lege Dei, Musas citharamque sonantem
Abjiciam, et tristi commutem gaudia luctu.

Hic mihi certus erat, nostrisque aptissimus annis
Temporibusque animus, quum Albena tui gregis unus

Antiquo incensam studio te nostra legendi
Narravit, valde cupere et quid nunc ego possem,
Nosse etiam quantum de nobis hauserit ætas;
Num canis aliquid, gestis et honoribus ante
Dignum aliquid scribam, an mores animumque priorem
Mutarim cum pelle, pilis, tristique senecta.
Me, regina, tibi fateor nil posse negare:
Quid possim aut valeam melius me nemo putabit.
Dicam quod Lycios gravius poscente tributum
Bruto respondisse ferunt: Fac, Brute, quotannis
Bis segetes fructum referant, bis floreat æstas;
Tum vero duplices decumas nos pendere coge,
Et duplex numerare tuis quæstoribus aurum.
Sic tu redde mihi mea gaudia, redde juventam,
Præteritas animi vires caldumque vigorem
Redde, mora in nobis erit usquam nulla, libenter
Quin tibi et exsolvam pleno quod poscis acervo.
Verum id si præstare negas et reddere posse,
Quis dabit exuta serpentum ut more senecta
Eniteam, folia aut amissaque poma resumam
Arboribus similis, medicave recoctus ut arte
Infelix senium juvenili corpore mutem?
Hoc si nulla potest dare vis humana petenti,
Ecquid erit quonam pactove hoc liberer ære?
Versuram faciam. Sed te neque furta latere
Nostra diu poterunt, et tu mage nostra requiris.
Namque domi tibi nec vates, nec carmina desunt,
Inque tuas laudes Europa effunditur omnis.

Restat ut ære meo, quamvis ego pauper inopsque,
Immensum atque ingens dissolvam hoc æs alienum.
Durum opus atque novum nobis, plenumque periculi,
Ne mihi fama prior juvenili parta labore
Concidat ambitione nova, laudemque peracti
Temporis extremo deformem turpiter actu.
Dicitur a natis in jus venisse vocatus,
Indignum dictu! magna jam ætate Sophocles,
Ut tandem rebus discederet ille gerendis,
Cederet integro pueris florentibus ævo.
Crimen erat nullum, ficta est amentia patris,
Cujus longa nimis premeret custodia natos.
At non ille senex certos producere testes,
Et causam ancipitem consueto jure tueri,
Ipse potens animi; tantum mirabile carmen
Ante recens a se scriptum spectante corona
Protulit, hoc ne rogans factum a demente putarent.
Adstantum magno recitata tragœdia plausu est;
Missus judicioque reus, liberque recessit.
Hoc documento erit egregios confidere vates
Versibus, obscuros contra sua prodere caute,
Sperata ne ignominiam pro laude reportent.
Hei! mihi quam vereor ne sors contraria cedat,
Judicioque meo peream, et ne pœniteat me
Exeruisse caput, cochleæ aut testudinis instar!
Agnosco nihil in genere hoc me posse, nec unquam
Vel minimum potuisse, etiam tum quum fuit ætas,
Ingenio facilesque meo favere Camœnæ:

Tu quodcumque fuit, nobis, regina, dedisti.
Nam bona pars hominum cernens tibi nostra probari,
Judicium est amplexa tuum nec carmine lecto.
Ecquis enim virtuti ausit se opponere tantæ?
Cherilus ut, magni staret nisi nomine regis,
Numquam oculos hominum, nunquam audeat ora subire.
Fac nos fac potuisse aliquid, tamen abstulit ætas
Quod fuit, ærumnæ, morbi, variique labores,
Et tua quæ pejor nobis absentia morte.
  Ergo perpetui satius nos ferre silenti
Legem, ne tibi sim, regina, tuisque molestus
Auribus : ipse meæ retegam ne damna senectæ.
Forsan et ut plena siquis gustaverit urna
Vinum acidum aut male olens, de testa sumere eadem
Nunquam animum inducat: sic tu quum legeris ista,
Restingues desiderium post nostra legendi,
Meque onere hoc magno scribendi plura levabis.

AD BARTH. FAIUM.

Nolim me pigrum, aut fugientem forte laboris
Scribendi officium prætermisisse putari;
Sed comes assiduus, gravis extremæque senectæ
Morbus, ab omni alia cogit me absistere cura.
Ut valeat vates, hilari tamen et nisi læto
Ingenio fuerit, nec respondere priori,
Nec poterit scribens prior ipse lacessere quemquam.
Hæc tamen increpitans, tardam nimiumque morantem
Fallere si possim pituitam, carmina scripsi
Qualiacumque tibi, nostris ignoscere nugis
Qui potes, et stomachi justos compescere motus.
Nunc ad te venio, quem durumne et sine sensu,
An potius dicam sapientem? Hortensius olim
Est habitus sapiens, qui nulli interfuit unquam
Civili bello: longe sapientor es tu,
Quem non ipsa movent civilis tempora belli;
Nec quæris studio concursans compita circum,
Ecquis Aquitanis venit modo nuntius oris?
Et de Germanis quæ fama? Dupontius hæsit
Ad ripas Araris, superato an transiit amne?
Hæc præterveheris regum deliria forti
Erectoque animo, consuetaque munera semper
Matutinus obis vespertinusque, nec unquam
Officio prior ulla tuo potiorve tibi res.

« Stultum est alterius mandata capessere curæ,
« Fastidire suæ fidei concredita; » quæque
Ante recepisset Themidis juratus ad aram.
Hæc tu namque, Fai, sapienter, ut omnia : non quo
More alii vestra multi jactantur in urbe,
Quos videas magis atque magis nova munera semper
Appetere; atque animum circum omnes ferre per artes
Incertum ignarumque sui. Spartæ satis æquus
Nemo suæ oblatum retinet constanter amorem;
Quin, simul optatam potuit contingere sedem,
Continuo cupit alterius succedere sorti.
Ast alii, magnas quæ maxima turba per urbes,
Tanquam in concilio regum fuerintque deorum,
Ridicula et summis de rebus inania quædam
Effari in mediis hominum conventibus audent
Ore supercilioque gravi. Rediisse Catones
Fabriciosque putes, tanta gravitate queruntur
Communem arbitrio et nutu non ire suo rem;
Non belli, non se pacis præscribere leges :
Tum claros homines acri proscindere lingua,
Arbitriumque sibi majorum poscere rerum,
Parcere non regum famulis, non regibus ipsis.
Quin etiam laqueos et falsam relligionem
Injiciunt animis, ut qui responsa petebant
Ementita, prius corruptæ vatis ab ore.
Est qui non veritus superos adsciscere testes,
Quorum sacra gerit : mutata in veste sacerdos
Sævus ad arma vocat populum, mox nomina profert

Designatorum ad cædem perscripta libello;
Et nisi vis plebem divina coerceat, omni
In regione fluant humano sanguine rivi.
Tantus amor cædis, vindictæ tanta cupido.
Scilicet illa Dei vobis præcepta reliquit
Filius. Hæc suprema suos scandentis Olympum
Vox fuit ad comites; ut non credentibus, ultro
Vim facerent, armisque sibi ferroque pararent
Imperium. Non sic non Paulus, et omne profectum
A Christo tercentum annis volventibus agmen:
Persuadere fuit proprium, non cogere nostris
Semper, et oblatum constanter adire periclum.
At vim propulsare manu non usque licebat,
Vix etiam vitare fuga. Quid? multa piorum
Mors erit, aut impune ferent tot densa tyranni
Funera? Quin imo gravior mox pœna sequetur.
Adspicit omnipotens cœlo Deus, et sedet ultor
Tantorum scelerum: Nostra est injuria, dixit,
Et dolor hic meus est, vindictam hanc ipse recepi.
Nequidquam pacem nobis præceperit ille,
Acceptisque vicem benefacta rependere damnis,
Diligere infensos, et qui nos oderit, illum
Non odisse, sed incolumem salvumque tueri.
At nos auctores vitiorum adjungere divos,
Et propriæ cupimus pietatem obtendere culpæ.
Nos regis, patriæ, atque Dei simulamus amorem,
Injussique operas domino damus: ut patris olim
Irati servus properet si occidere natos,

Eripiat veniæque locum tempusque parenti,
Spem natis adimat vitæ melioris. Ad hostem
Currimus infesti, atque omnis mora longa videtur.
Multa prius peccet natus mihi, peccet amicus,
Quam gladium stringam, nisi sim furiosus ut Ajax.
Hæc me dulcis amor patriæ plorare coegit,
Regis amor dulcis, quem nunc, miserabile visu!
Paucorum ambitio regnis expellit avitis
Immeritum. Cadit infelix civilibus armis
Gallia victa suis, quam nulli exsuperare reges
Vicini, quondam nulli potuere coloni.
Tu clarus studiis, tu magna notus in urbe
Officiis potes has animo depellere curas
Congressu assiduo, et leni sermone clientum,
Qui te circumstant, deducunt atque reducunt,
Damnaque privatis sublevi publica rebus.

AD EUMDEM.

Nec victus jaceo, quamvis erepta malorum est
Vi nobis hominum respublica; nec quod inertes
Ignavique solent, prima ante pericula cessi,
Consiliumque fugæ dubio in discrimine cepi:
Sustinui quantos nostri perferre labores
Vix humeri poterant, nec vitæ animæque peperci,
Dum patriæ prodesse meæ, prodesseque regi
Spes fuit. Auxiliis desertus ab omnibus, ipso
Rege et regina nihil ausis tendere contra,
Discessi, patriæ sortem miseratus iniquam.
Nunc aliud curo, studia intermissa, senectæ
Subsidium, et parvos, mea dulcia pignora, natos.
Curo etiam, quas aula negoti plena vetabat,
Ruris opes nostri, quæ nunc mihi regna videntur
Maxima, si stabile et proprium quid civibus usquam est.
Spero etiam, quando locus est hoc tempore nullus
Consiliis, aliquem demissum huc adfore cœlo,
Qui valida mala tanta manu compescat, et armis
Relliquias servet, regemque in sceptra reponat.
O mihi tunc veniat non injucunda seni mors,
Regibus antiquis sua reddita regna tuenti,
Atque meos cives in libertate manentes!
Quam mallem, viresque suas mortalibus ægris,
Et sanctum numen sine vi monstraret et armis,

Hunc Deus et rerum placide converteret orbem.
Pacatis animis sua quique in tecta redirent,
Nos sinerent nostris regnare in finibus, ipsi
Contenti regnare suis; sed dira cupido
Regnorum antiquos fines confundit, et ultra
Progreditur. Nullus fidei, nullusque pudori
Est locus: utilitas sævos agit una tyrannos.
Magna quidem multis præclare gloria factis
Venerat huic nostro regi meritisque suorum.
Sol etenim reliquis præfulget ut aureus astris,
Sic alios reges præcessit Francus honore.
Fecere ambiguum, nemo quod fecerat ante,
Hoc puero. Nam visa dolis et fraudibus ætas
Opportuna; etiam corrupti regis amici.
Audax tum Romana cohors collecta Tridenti,
Exemplo sancire novo jus cœpit iniquum:
Parte alia Belgas Romanus episcopus ante
Adscriptos sacris Remorum cœtibus urbis
Abstulit, atque suo concessit vivere jure;
Par et Aquitanæ est injuria facta Bajonæ.
Sed quid ego hæc paucis consector singula verbis,
Quum regnum, leges et jura vir opprimat unus
Imperio, regemque sibi subjecerit unus?
Interea fines, alienaque regna paternis
Artibus usurpata, jugum intolerabile servis,
Ferre docet. Nam qua freti spe ferre recusent
Imperium, amisso communi gentis et orbis
Præsidio? Non tu hæc ducas, Francisce, ferenda,

Romanæ atque Italæ gentis fortissime vindex?
Non tu, dum tua regna bonis erecta vigebant
Consiliis, nec belli ingens mutaverat æstus.
Sic agitans mecum sedata mente futuri
Nescius, hæc ne velint æterna et fixa manere
Di superi, an mutare velint quoque cætera rerum.
Me tamen ipse bonis solor præsentibus, ac qui
Longa maris spatia emensus, jam jamque propinquat
Littoribus patriis, proramque advertit arenæ.
Sic ego bisseni transgressus tempora lustri,
Nunc alias sedes, aliam jam cogito vitam,
Inque domos superas terris migrare relictis.

IN REDITUM
FRANCISCI LOTARENI,
GUISIORUM DUCIS, CARMEN.

Ite coronati, festivoque agmine, cives;
  Ite, novis quam mos regibus ire viam.
Ite magistratus cum fascibus; ite ministri
  Sacrorum; ite minor turba, senator, eques.
Omne forum sileat; clausæ sint urbe tabernæ
  Artificum : locus hoc nullus honore vacet.
En vobis erit ad primum lapidemve secundum
  Obvius in niveo dux Guisianus equo,
Victor ab indomitis qui nunc redit usque Britannis,
  Qua maris angusto cogitur unda freto.
Multos ille armis populos, multa oppida cepit;
  Gallorum fines protulit Oceano.
Quis Guinam potuisse capi, potuisse Caletum
  Credat, ut adversus stet genus omne virum?
Ipsa suis opibus fidens et rege marito,
  Hoc longe veniens spreverat ante malum.
Arguerat vanique suos regina timoris;
  Nulla sed invitis sat loca tuta Deis.
Adspice, nec gemmis volitat, nec splendidus auro,
  Captivos hominum nec trahit ille greges.
E tantis spoliis prædæque ingentis acervo,

Nil tulit, hunc albo corpore præter equum.
Hunc tamen : ut quoties gradietur, nobilis hujus
In patriam toties sit memor officii.
Cætera pro meritis socios divisit in omnes,
Contentus laudis præmia ferre domum.
Ergo prætereunte viro bona dicite verba,
Et manibus plausum congeminate piis ;
Atque Deos orate, sinant hunc, principe nostro
Incolumi, longos ut superesse dies.
Hoc ego nec flavos metuam rectore Britannos,
Nec Batavæ gentis Vangionumque minas ;
Sperem etiam magni superato flumine Rheni,
Lilia Pannonico fixa videre solo.
Talibus inceptis moliri, Errice, decebat
Regna tibi fatis debita spemque nurus ;
Imperiumque tuum media regione subacta,
Extremis hominum continuare Scotis.

DE PONTE GARDONIS.

ADMIRANDI antiqua operis monimenta, viator,
Suspicis, auctorem pressit iniqua dies:
At tu dignus eras ultra producere famam,
Dignus eras operi vel superesse tuo.

DE SE IPSO.

HÆC me scribentem petrosi plana Salonis
Excipiunt: conor lapides numerare, simulque
Diffugiunt versus et penna recondita theca.

LIBRI SEXTI FINIS.

TUMULI.

33.

TUMULI.

PETR. CASTELLANI,

AURELIORUM EPISCOPI, QUI INTER CONCIONANDUM DEFECIT AC OBIIT, TUMULUS.

Si pulchrum est ducibus pugnando occumbere mortem,
Pontifici pulchrum debet sanctumque videri
Sic laterum nixuque omni contendere vocis,
Ut vires media facientem verba corona
Deficiant, sudoque fatiscat lingua palato.
Ac quondam fortis qui vicit Olympia miles,
Rettulit et multas victor certamine palmas;
Et quem nulla viri virtus perfregerat ante,
Sternitur ille siti tandem confectus et æstu.
Discite, pastores, o, vestro munere fungi,
Commissos curare greges, et denique nullum
Servandi causa pecoris vitare dolorem;
Nec dubitare animam multis pro millibus unam
Consecrare Deo, ac meliori reddere vitæ.

HORATII FARNESII.

Et Venus, et Mavors, Romani scilicet ambo
Auctores generis, divisam tempore longo
Hectoris Æneæque domum conjungere rursus
Aggressi, possent decori si reddere primo
Urbis relliquias, antiquæ rudera Romæ,
Hæc, non invita Junone, in fœdera jurant:
Ut Francis Itali permixti sanguine, eosdem
Perpetuo reges habeant, eadem arma sequantur.
Nubit formoso Veneris Dianà nepoti,
Non dea venatrix, at magni filia regis
Errici. Sed non ea gaudia longa fuere.
Mulciber invidit: puerumque ut cæde recenti
Gaudentem, pulsoque superbum viderat hoste,
Mortali: Deus ipse pedem conferre nec ausus;
Fulmineam, cæcæ tectus caligine nubis,
Torquet agens pariter cum nitro et sulphure glandem;
Qua puer et miseræ cecidit spes maxima Romæ.

FR. LOTHARINGII,

DUCIS GUISII.

Hunc belli rabies, civilis et abstulit æstus,
Dignum post tantos fato meliore triumphos,
Dignum qui nobis venturis esset in annis

Præsidio contra Francorum nominis hostes
Perpetuos. At tu mea dormis, Gallia, nec tot
Orba viris ducibusque domestica vulnera sentis,
Æmula nec regum circumspicis arma potentum.

JAC. BURDINI, REGIS SECRETARII.

Hic turbas inter medias aulæque tumultus
Posse homines mortem meditari, et vivere recte,
Recte posse mori docuit : plus denique nobis
Profuit exemplo, quam si vixisset in umbra
Desertisque locis, Cilicum contectus amictu,
Utilis ipse sibi fortassis, inutilis orbi.

EJUSDEM.

Hunc Deus ætatis medio super æthera cursu
Abstulit, exitium nobis ne forte propinquum
Adspiceret, quo nil patriæ potuisset amanti
Durius esse viro; sed te, Burdine, beatum,
Qui modicis opibus, summa probitate, fideque
Vixisti, pro quo merces nunc maxima cœlo est.
Nos miseri, quibus hoc reliquum mors tristis ademit
Principis ardentes animos facilemque juventam;
Multaque civilis tollebat semina belli

Vir pius, et pacis populis ac regibus auctor.
Haud dubia hæc nos signa monent, irata deorum
Numina curam omnem nostræ posuisse salutis,
Et procul hinc nobis alio migrasse relictis.

JO. CAPELLANI ET HON. CASTELLANI,

MEDICORUM REGIORUM, TUMULUS.

Divisi patria longa regione locorum,
Præclari artifices ejusdem muneris ambo,
Dissimiles morum, discordi regis in aula,
Exegere tamen, dictu mirabile! vitam
Litibus, invidiæque malo, rixaque carentem:
Communi tecto, et mensa prope semper eadem;
Quo duo more solent germani vivere fratres.
Magnus uterque, rei medicæque peritus uterque
Supra omnes : antiquæ operæque artisque magistri
Primum adeo tenuere locum, regisque juventam,
Reginæque, Erebi revocarunt limine portæ
Sæpius, ipsi non potuere obsistere morti.
Quin imo paucis ambo occubuere diebus,
Ambo unoque jacent tumulo. Prius occidit alter
Lethifera turpique lue; huic mox deinde superstes
Morte sua extincti cumulavit funus amici,
Mandavitque uno condi simul ossa sepulcro,
Ut neque mors illos sejungeret ultima rerum.

O divinus amor, perituraque tempore nullo
Gratia, quantum animis possunt contendere amantes!
Sed fati vis major erat. Sic omnia tandem
Tempore quæque suo in cineres mortalia verti,
Nec medicas artes prodesse auctoribus ipsis.

P. MONTAUREI AURELII

TUMULUS.

Musæ, vester honos, et gentis gloria nostræ,
Concessit fatis, patria Montaureus exsul.
O ingrata domus, tantum quæ perdere civem
Optasti! Non ille superbum hoc nomen ab auro
Nequidquam tulerat. Totus fuit aureus intus,
Aureus ingenio, doctrina, et moribus aureis.
Omnes præterea linguas et noverat artes,
Scribebat dignos vobis et Apolline versus.
Tantum illum talemque virum si Roma tulisset,
Aureus in summa staret Montaureus arce,
Aureus inque foro et rostris, tota aureus urbe:
Nos vero terras urbesque negavimus illi,
Qui fuerat regere et terras et idoneus urbes.
At Deus ereptum nobis super alta locavit
Sidera, perpetuas sedes patriamque bonorum.
Hic gladios non ille timet, non impia avari
Judicis arbitria, et Francorum nominis hostes.

Ergo illum, Musæ, defunctum ornate poetam,
Et dignum tumulo defuncti inscribite carmen,
Qui vestras vivens coluit plus omnibus artes.

Conditus hoc terræ tumulo Montaureus, urbe
Aurelia clarisque parentibus ortus, honores
Præcipuos vivens, et principem adeptus in omni
Laude locum; patria misere civilibus armis
Oppressa, profugus Sancerras venerat alto
Colle sitas : ibi, dum paucis comitatus amicis
Exspectat qui finis erit, quæ meta laborum,
Ante diem clausit, sic dii voluere, supremum,
Quam daret uxori, quam dulcibus oscula natis,
Compositasque domi placida res pace videret.

POEMATUM ET TUMULORUM FINIS.

POEMATUM

QUÆ HOC VOLUMINE CONTINENTUR, ET NOMINUM EORUM AD QUOS SCRIBUNTUR,

INDEX.

LIBER PRIMUS.

Ad musas Romanas.....Pag. 7
Ad Franc. Olivarium, cancellarium..... 12
Ad Franc. Turnonium, cardinalem..... 19
Ad Adr. Dracum..... 28
Ad Pontronium..... 34
Ad Georg. Armeniacum, cardinalem..... 36
Ad Claud. Espencium..... 41
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 53
Ad Od. Castillionæum, cardinalem..... 56
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 60
Ad Achillem Bocchium..... 67
Ad Lancelotum Carlum..... 71
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 73
Ad Margaritam Valesiam..... 81
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 86
Ad Carolum Lotharingum, cardinalem..... 89
Ad Petrum Montaureum..... 91
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 95
Ad Margaritam Valesiam..... 96
Ad Petrum Castellanum..... 99

LIBER SECUNDUS.

Ad Jacobum Fabrum.....Pag. 113
Ad Margaritam Valesiam..... 119
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 127
Ad Franc. Olivarium, cancellarium..... 130
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 135
Ad Crassinum, senatorem..... 143
Ad Franc. Olivarium, cancellarium..... 147
De Meti urbe capta..... 151
Ad Henricum regem..... 156
Ad Margaritam Valesiam..... 158
Ad Lancelotum Carlum..... 161
Ad Salmonium Macrinum..... 166
Ad Marilliacum, archiepiscopum..... 168
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 173
Ad hospites..... 176
Ad Paulum..... 178
Ad Andream Tiraquellum..... 180
Ad Lancelotum Carlum..... 182
Ad Janum Morellum..... 185
Ad Car. Lotharingum, cardinalem..... 191
Ad eumdem..... 199

LIBER TERTIUS.

Ad Franc. Olivarium, cancellarium..... 205
Franc. Olivarii responsio..... 214
Ad Janum Morellum..... 218

Ad Od. Castillionæum, cardinalem..... Pag. 224
Ad cardinalem Lotharingum 227
Ad Franc. Lothar., ducem Guisinum..... 232
De Caleti et Guinæ expugnatione..... 240
De Theavilla capta..... 245
Ad Margaritam Valesiam..... 251
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 253
Ad eumdem..... 255
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 257
Ad Margaritam Valesiam..... 260
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 268
Ad Bart. Faium..... 271
Ad Jo. Bellaium, cardinalem..... 272
Ad Salmon. Macrinum..... 275

LIBER QUARTUS.

Ad Vidum Fabrum..... 281
Satyra..... 289
Ad Janum Morvillierium..... 306
Ad Sal. Macrinum..... 324
De morte D. Brissacæ..... 326
Ad Margaritam Valesiam..... 328
In Francisci delphini et Scotorum reginæ nuptias..... 331
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 337
Ad Margaritam Valesiam..... 339
Ad Carol. Lotharingum, cardinalem..... 346
Ad principem Carolum. Epigramma..... 350

LIBER QUINTUS.

De sacra Francisci II regis initiatione. . . . . Pag. 353
Ad Jac. Fabrum. 367
Ad Franc. Olivarium. 387
Ad Adrianum Turnebum. 390
Ad Carolum, cardinalem. 391
Ad Musas. 400
Ad Carolum, cardinalem. 402
Sermo. 411
Sermo, de libertate scribendi. 416
De bello civili. 418
Ad Arnol. Ferrerium. 424
Ad Vidum Fabrum. 426
Ad Arn. Ferrerium. 434

LIBER SEXTUS.

Ad Vidum Fabrum. 439
Ad Jacob. Corbinellum. 444
Ad Antonium Vaccam. 451
Ad P. Victorium. 458
Ad amicos. 461
Ad Vidum Fabrum. 473
Ad Barth. Faium. 482
Ad eumdem. 484
De obitu Jac. Fabri. 488
Ad Annam Æstensem. 491
Ad Margaritam, ducem Sabaudiæ. 495

Ad Barth. Faium. . . . . Pag. 504
Ad eumdem. 508
In reditum ducis Guisiorum. 511
De ponte Gardonis. 513
De se ipso. . . . . *ibid.*

TUMULI.

P. Castellani. 517
Horatii Farnesii. 518
Franc. Lotharingi Guisii ducis. . . . . *ibid.*
Jac. Burdini. 519
Jo. Capellani et Hon. Castellani, medic. regior. . 520
Pet. Montaurei. 521

INDICIS FINIS.